CONRADI HERESBACHII

Historia Anabaptistica,

De factione Monasterienſi, anno 1533. & ſeqq. ad Eraſmum Roterodamum Epiſtolæ formâ anno 1536. deſcripta,

Nunc demum ex Authoris autographo,

Cum Hypomnematis ac notis, Theologicis, Hiſtoricis, ac Politicis, Edita.

Operâ & Studio

THEODORI STRACKII,

Paſtoris Budericenſis.

Accedit,

Tumultuum Anabaptiſtarum liber, Authore LAMBERTO HORTENSIO, anno 1548. Baſileæ editus, & jam dudum à plurimis deſideratus.

AMSTERDAMI.

Sumptibus *Henrici Laurencij*, Bibliopol. Amſteldamenſis. 1637.

DAVID. WILLIAMS'S LIBRARY
RED CROSS STREET
LONDON.

Magnificis, Strenuis, Nobilissimis, Amplissimis Consultissimisque Viris,

D. WINANDO ab HEIMBACH,

Ictο eminentissimo, Cancellario Clivensi ac Marcano, dignissimo.

Nec non

D. Consulibus, Scabinis & Senatoribus Rerum publicarum.

WESALIENSIS

DVSSELDORPIENSIS

ET

CALCARIENSIS.

Fundationis Hetesbachianę Curatoribus ac Superintendentibus Gravissimis, Dominis ac Evergetis Religiosè colendis.

S. P.

NVNCVPATORIA.

Magnifici, Strenui, Nobilissimi, Amplissimi Consultissimique Viri.

INsignis ille Europæ Phœnix, & magnum omnis doctrinæ in Germaniâ lumen, PHILIPPVS MELANCHTHON, in libro, quem *Examen ordinandorũ* inscripsit, haud inutiliter non mi- Philip. Mel. in Exam. ordinand. lib.



nibus, quantumvis rancidis & portentosis, hæresibus conflatum, MICHAEL SERVETVS gente Hispanus, Viennâ Allobrogum, ex carcere, in quo, ob editum blasphemiarum plenum volumen, compactus, sed inde, nescio quibus artibus, elapsus, & profugus, Genevam appulit; videlicet, postquam jam per viginti vel circiter annos Christianum orbem virulentis ac pestiferis dogmatibus infecisset; non simplicem, sed ex multis impietatibus conflatam hæreticorum larvam professus; puta Arrij, Marcionis, Sabellij, Praxeę, Noeti, Photini, Manichæi, Pelagij, & similium; ut verè huic blas-
Luc. 2. 34. phemo Christus *Signum contradictionis* fuerit: cui videlicet nec essentiam divinitatis, neque hypostasin, nec carnis nostræ veritatem, neque animam humanam reliquit; jungenda in sacrosanctâ hac personâ discerpsit, & distincta confudit, atque Redemtionis Virtutem enervavit: addens alia insuper dogmatum portenta, quibus Dei Substantiam & mutabilem fecit, & rerum omnium partem esse docuit: quemadmodum etiam Spiritûs Sancti hypostasin ac divinitatem est inficiatus, & personas sacrę Triadis triceps monstrum & Cerberum tricipitem seu tripartitum (horresco referens) denique imaginarios Deos, illusiones, ac tres Spiritus dęmoniorum toties appellavit, & animę mortalitatem asseruit, veteremque Israëliticam Ecclesiam in haram porcorum transformavit; & Mosen ridiculum impostorem fuisse, affirmavit: &, ne à fanaticis nostrorum temporum sectis abhorrere videretur, Baptismum Infantium quoque horrendis

rendis modis flagellavit & abominabilem reddere conatus fuit: adhęc sanctum Athanasium, Augustinum & alios Dei servos eximios, illustriaque Ecclesię lumina, Trinitarios atque adeo atheos appellavit (ita enim omnes Trinitatem in Vnitate Deitatis venerantes nuncupavit) neque hos solum, sed totum etiam chorũ Sanctorum, atque adeo totam Christi Ecclesiam, infandis convitijs proscidit, imò Deo viventi ejusque Angelis maledixit: Iudęorum quoque blasphemias in Christianam religionem effusas excusavit, & fęda *Mahumetis* verba, tres in Trinitate personas, (vel, ut ipse ait, tres deos) Patribus fuisse incognitas, & esse filios *Beelzebub*, extollens approbavit.

Vnde factum, ut inclitus *Reip. Genevensis Magistratus*, Vigilantiâ & attentione eximij viri *Dn.* CALVINI, Pastoris sui fidissimi; cui videl. lupus ille rapax jampridem benè notus erat; excitatus, pro prudentiâ suâ, ad ipsius conatus reprimendos, & offendicula, quæ ille passim excitârat, tollenda ac sananda, ne blasphemiæ ipsius, tanquam cancer, Christi membra depascerentur, carceri hominem mancipare pretium operæ duxit, omneque studium in ipso sanando abhibuit, protinusque omnium Ecclesiarum Helveticarum exquisitum non minùs quàm Gravissimum consilium, quid in perdito hoc homine compescendo, vel in viam revocando, sibi faciendum esset, solicitè petivit. Verùm quùm is præfractè magis magisque malum animum suum obfirmaret, neque impietatem indomitam, aut blasphemias suas innume-

Ioh. Sleid. in comment. lib. 16. pag. mihi 812.

 rabiles,

rabiles, ad quas vel ipsi diaboli cohorrescãt, corrigere aut rejicere vellet: Sed etiam convitijs & maledictis deliramenta sua ad ravim usque propugnaret: dicta *Genevensis* Potestas pro officio suo, authoritateque à Domino concessâ, *Anetanóæton* illam bestiam extremo supplicio coërcere volens, ultricibus flammis viventem exuffit.

Ob quam rem idem amplissimus Senatus, & à vicinis, & à longissimè remotis Ecclesijs, optimo jure tum temporis collaudatus fuit: Et *PHILIPPVS MELANCHTHON* *Anno* 1554. die 14. Octob. ad *CALVINVM* scribens, quid de hoc facto senserit, in hunc modum testatus fuit: *Legi* (inquit) *Scriptum tuum, in quo refutâsti luculenter horrendas* SERVETI *blasphemias; ac Filio Dei gratias ago, qui fuit* Brabæus *hujus tui agonis. Tibi quoque Ecclesia & nunc & ad posteros gratitudinem debet & debebit. Tuo judicio prorsus assentior. Affirmo etiam vestros Magistratus justè feciss̃e, quòd hominem blasphemum, re ordine judicatâ, interfecerunt.* Cur verò justè fecerint, ejus rationem *D. IOHANNES GISENIVS Theologus* quondam *Giessensis*, nunc Argentinensis, in *Stæliteutico* quodam adversum nos Scripto, nobis hanc suppeditat: *Si quis*, ait, *hæreticus seditiosus turbas movet, seditionemque excitat, vel indubitatam & martyrum sanguine confirmatam doctrinam apertè & directè blasphemat; in talem meritò Magistratus capitali supplicio animadvertit*, id est, eodem Interprete, *corporali pœnâ rectè eum punit.* SERVE-

Gisenius in Calvinismi sui Disputat. 29. Thes. 67 pag. mihi 292.

Idem. Ibid.

TVM

TVM autem seditioſé turbas moviſſe, & indubitatam martyrumq́ue ſanguine confirmatã doctrinam aperté & directé blaſphemâſſe, inde patet; quòd Anno 1531. in Germaniâ ſeptem libros de Trinitatis erroribus, quos vocat, & alios ejus generis Dialogos, non abſque ſimplicium ſcandalo, excudi curavit. Dubium verò non eſt, complures parùm exercitatos in Scripturis, & infirmiores in fide, eorundem lectione præcipites actos in grave tum animarum, tum corporum diſcrimen. Vnde jam pridem *D. OECOLAMPADIVS*, vir Dei ſagaciſſimus, ſententiam de eo tulit, quòd religioni *Chriſtianæ* grave diſpendium eſſet daturus, niſi manu Domini frangeretur.

Sed non ita pridem quidam repertus fuit, nomine *IOHANNES ANGELIVS WERDENHAGEN. I. C.* Archiepiſcoporum *Magdeburgenſis & Bremenſis* Conſiliarius Camerę intimus, ac Capituli ibidem Syndicus, & ad Civitatis Hanſaticas ex annis aliquot Legatus, qui in *Synopſi librorum Ioh. Bodini de Republicâ*, hoc anno typis Iohannis Ianſoni Amſtelrodamenſis editâ, perditum hunc hominem perverſo encomio ad cælum uſque attollere, & *optimum Servetum virumq́ue inculpatiſſimæ vitæ*, nec non *Virum ſummè pium & veræ Sanctitati vitę addictiſſimum in Chriſto*, calamo & zelo præpoſtero appellare non erubuit; qui ſcil. *nihil à Kempiſio, Gerſone, Savonarolâ, Davide Georgio & talibus optimis Sanctorum, alienum loquutus ſit*: Additque *Ekphroon*; Optimum Servetum ſuum *ab iniquis* judicibus

Ioh. Angelius werdenhag. in Synopſi libr. Ioh. Bodini de Republ. in Dedicat.

dicibus *ad mortem, & quidem ad ignis combustionem, instigante id Calvino, sub falsâ affectione opinionis vanæ condemnatum fuisse.* Iudices autem *aliquid horrendi*, quod tamen hîc tertius de cælo lapsus Cato se nescire simulat, *de ejusdem doctrinâ, in gratiam Calvini Condemnatoris illius* scilicet, *per calumniam novamque diffamationem, dispargere voluisse: Ex quo factum sit, ut hanc opinionem multi* de SERVETO *concipere & dispargere non dubitârint, quòd is tam abominabilis fuerit hæreticus; postquam* videlicet *libri ejus* ad unum ferè omnes, *præter eum*, quem THESAVRVM ANIMÆ vocavit, *è medio sublati essent.* Quæ nimirùm, juxta ipsius sublimatum judicium, *ars sit singularis Diaboli, ut se in Angelum lucis transformet, & Christum sub specie falsâ Christi, quàm atrocissime persequatur.*

Quæ Sycophantiosa sanè criminatio Bremæ ex calamo Antico politici Eceboli prodiens, nuperque typis Emporij in Belgio ut frequentissimi, sic nobilissimi, divulgata, me adegit, ut *servum hunc malum ex ore suo judicem*; qui non solùm augustissimum Syndicorum totiusque Senatûs Genevensis confessum, sed etiam Calvinum, fidum Dei servum atque in hæreticis profligandis ac conterendi, fortissimum malleum, ore tam protervo proscindere, mortuique leonis barbam adeò licentiosè vellicare, liberum sibi esse putavit; nempe ob id duntaxat, ut confidentis ac præfracti hujus hæretici blasphemijs ac deliramentis novas suppetias ferat, palpumque faciat, ad palatum eorum, qui sputa veterum

Luc. 19. 22

rum neotericorumque fanaticorum, ceu thymiamata ſua violentia ſuper aram jehovæ imponere præoptant.

Agnoſcit quidem homo *ſingularem artem Diaboli hanc eſſe, ut in Angelum lucis ſe transformet, ſemperque in habitu ſuo candido cupiat Vocari Chriſtianorum optimus*; ut alibi addit: ad quid igitur externum fucum à Serveto oculis ſimplicium objectum, ceu ſummam pietatem ac Sanctitatem laudibus ſuis extollit? Ejus vitæ raram innocentiam, commendat, quæ tamen abſque manſuetudine ac modeſtiâ, humilique docilitate, nulla inter Ethnicos quidem, nedum inter Chriſtianos, agnita fuit, extrinſecam larvam, quantumvis ſpecioſam, ſuſque denique facientes. Quinimó etiam vepribus viror ſuus eſt, ſed flores ſpinas regunt: & Sambucus ad laurum, labruſca ad vitem, foliis valdé accedit, lupuſque ovinâ pelle non raró indutus glaucoma gregi ovium ſimplici & innoxio verſutus prætendit: Sic etiam Servetus ſpeciem pietatis foris quidem præ ſe ferre commendabilemque ſimplicioribus ad tempus ſeſe facere potuit, ut eos incautos, ceu bubulos naribus circumduceret: verùm quoties ad collationem ſententiarum ac dogmatum ſuorum defenſionem ab *Oecolampadio, Calvino* cæteriſque Theologis invitaretur. veritatiſque pede fortiter ac ferió premeretur; ſubdolus atque vafer in conſuetâ confidentiâ, præſumtione & pertinaciâ animum ſuum obduravit, ſic quidem, ut citiùs eum frangere, quàm ad ſanam mentem revocare potuerint. *Contemtus* enim plerumque, ceu indivul-

In Synoſi lib 6. Cap. 14. pag. 751

Proverb. 18. 3.

ſus

sus comes, *improbum eomitari solet*, ut Sapiens
Proverb. 27.22. opportunè monet: Eo, *si contuderis stultum in mortario cum molâ pistillo, non recedet ab eo stultitia ejus*, Nam neque captivitate humiliatus fuit ad modestiam, neque tam luculentis, veris & evidentibus Theologorum nostrorum institutionibus, quibus errorum convincebatur, vel cessit, vel acquievit: Sed serpentis instar incitati, maledicos atque calumnioſos in eosdem Dei servos, & blasphemos in Dominum frequenter sibilos edidit; ac lubricus nonnunquam elabi Sophisticâ suâ conatus fuit: Quum tamen Sacræ teſtẽtur, quòd *timor jehovæ ex se pariat* tum
Prov. 8 13. *odium mali*, tùm quoque *detestetur fastum & elationem, viamque mali, & os perversa loquens*.

Idem quidem Actus SERVETI sui libellum, quem *Thesaurum animæ* inscripsit, in teſtem ejusdem pietatis & innocentiæ vitę vocat; qui tamen hactenus mihi visus non est: Sed demus, bona & pia in eo contineri nonnulla: annon ex eo, quòd, Euangeliſtis referentibus, *dæmones ad Christum cucurrisse* legimus,
Matt. 8. 29. Marc. 1. 24 & 5. 6. 7. *eumque adorâsse, dicentes: IESV Fili Dei altissimi*; sive, *Tu Sanctus es ille Dei:* & Apoſtolis teſtimonium ejusmodi dedisse: *Isti homines Servi sunt Dei illius summi, qui annunciant vobis viam salutis*: eodem jure quis arguere posset, Sathanam nequaquam *Patrem mendacij hostemque*
Act. 16. 17. Joh 8. 44. 1. Pet. 5. 8. 2. Cor. 4. 3. 4. *Salutis nostræ* esse, sicut alibi in S. Codice describitur: quum tam præclarum de Christo ejusque servis ac amicis teſtimonium ediderit? & quidem tale, de quo Dominus ipse ad Simonem Petrum, similiterde ipso confitentem, ex-
Mat. 16. 17

ſerte

ſertè teſtatur; eum ex tam inſigni confeſſione beatum eſſe, quia non ſit à carne & ſanguine ei dictata, ſed à Deo Patre cœlitus revelata? An non meliori jure callidum Satanæ artificium hîc notamus, quo vafer inveterator ille utitur, ut fallaci veritatis & pietatis prætextu ſeipſum occultet, & occultè penetrando magis noceat, & veri colorem obtendens, inani ſpecie nos decipiat? Ita enim *in Angelum lucis*, ajente Apoſtolo, *ſe transfigurare novit. Non magnum eſt igitur, ſi etiam miniſtri illius transformentur, ut miniſtri juſtitiæ & Apoſtoli Chriſti*; Theſaurumque ſub integumento, quo nequam abútuntur, nobis quaſi porrecturi, pro eodem carbones, quod dici ſolet, in noſtram pernitiem ſubminiſtrent. *Operarij* ſi quidem *doloſi ſunt; arboreſque malæ, à quibus boni fructus fruſtra ex ſpectantur:* quemadmodum etiam Hilarius, Antichriſtum ipſum *ſub ſpecie Euangelicæ prædicationis Chriſto contrarium futurum* utiliter monet.

2. Cor. 11. 14 15.

Ibid. 15. Matth 7. 18. Hilarius contra Auxent.

Quopacto autem SERVETVM, ceu *Optimum virum, cum Gerſone, Kempiſio, Savonarolâ & ſimilibus* conferre voluerit Ictus, non video: niſi forſan Iudam Iſcariothen cum Iuda Thaddæo, aut Simonem Magum cum Simone Petro, ſimul aſſimilare, eodemque honore dignos pronuntiare velit; quandoquidem Flacco Poëta teſte,

Laudantur ſimili prole puerperæ,

Horat. Carmin. lib. 4. Ode. 5. ad Auguſtum.

Eundem porro clientem ſuum *nihil à* DAVIDE GEORGIO *& talibus optimis*

pag. mihi, 129.

Sanc-

Sanctorum, quos ait, *alienum loquutum esse*, refert: Dignum certé patellâ operculum; quum satis constet, quòd idem *David Georgius* propter hæresin ex Belgio profugus, Basileam devenerit, nomenque suum astuté mutaverit, tandemque Per magnificum Rectorem & Academiam Basilienſem, ad instantiam amplissimi Senatûs ejusdem Reip. re ordine judicatâ, tanquâ pernicioſissimæ Sectę author & fautor, majestatis divinæ & violatæ religionis Christianæ reus, etiam post mortem sit declaratus; cujus cadaver propterea effossum rogoque per carnificẽ impositum & in cineres redactum fuit: quippe (ut ex ejus Historiâ constat) qui se Regem & Christum, magnâ atque inexpiabili veri Christi contumeliâ, fecit. Nam inter multa alia absurda nimis & impia, impostor ille asseruit; Se verum Christum seu Messiam esse, Patris carissimum Filium, in quo se oblectet Pater: natum non ex carne, sed ex Spiritu Sancto: Item, Se restauraturum domum Israëlis verosque Levi filios, & verum Dei Tabernaculum, idque non cruce, rebus adversis, aut morte, ut ille alter Christus, sed clementiâ, & Spiritûs Christi, qui ipsi à Patre sic datus, amore & gratiâ. Se etiam eâ potentiâ præditum esse, quâ salutẽ tribuere, & condemnare peccata, remittere & retinere possit. Idcircó se illum esse, qui extremo judicio, sit totum mundum judicaturus. Imò ultra etiam progressus, affirmavit præfractè, se non solum Iohanne Baptistâ cæterisque omnibus Sanctis, qui olim ante eum exstiterunt, sed ipso etiam *Iesu Christo* majorem ac excellentio-

Hist. Davidis Georgij hæresiarchæ per Rectorem & Acad. Basilienſ. Anno 1559. excusa, sub lit. E. 1. & seqq.

rem

rem esse : quòd-hic ex muliere in carnem natus sit: Se verò è Spiritu Sancto cæleſtem Chriſtum natum & unctum : Omne peccatum in Patrem & Filium remitti & condonari , etiam asseruit; ut Chriſtus ipſe teſtatur: quod autem in Spiritum Sanctum , hoc eſt , in Davidem Georgium, commiſſum fuerit , nunquam neque in hoc , neque in altero ſęculo remittendum. Ex quo ſatis conſtanter ait , ſe Chriſto præſtantiorem esse.

Reliqua ejus nefanda deliramenta prætereo : Quum ex his paucis , tanquam leo ex unguibus , colligere ſatis ſuperque quilibet poſſit, quâ fide hic Ictus planum illum *optimis Sanctorum* annumeret ; ut *Optimum* SERVETVM ſuum ad latus ei , honoris ergó adjungat : quorum ſcilicet Pietas , Sanctitas & Vitæ integritas (ſi Chriſto placet) digna eſt , ut cum Chriſtianis illis primitivæ Eccleſiæ , Athenagoram , Tertullianum ac Originem aliquem ſortiantur ; qui nova Apologiâ , adverſus eorum iniquos Condemnatores , honori eorum ſubveniat; ne videl. impoſterûm (ſicut hucuſque creditum fuit) *tam abominabiles Hæretici , ſed viri ſummè pij, nec non Sanctorum optimi, habeantur.*

Vanas opiniones & horrenda dogmata , falſó & per calumniam Serveto afficta , idem Ictus queritur , tenebras ex luce , & ex tenebris lucem ponere , pro ſagacitate ſua ſtudens : Quaſi tot Theologi ac attenti Eccleſiarum Helveticarum & Allobrogum antiſtites , in éjuſdem ſcriptis perſcrutandis , & in Colloquijs cum eo ſuſceptis, fungi ac ſtipites fuerint : ac malevoli perverſores,

& potius

& potius vanitatis scientiæ secularis, quam vocat, quàm Pietatis ac Veritatis, amantes. An non ante complures annos Oecolampadius diras illas hæreses & nefanda dogmatum portenta, in perdito hoc homine notavit, & verbis scriptisque serio interpellatum ipsum reducere in viam, quanquam frustra, tentavit? Quam vero ob causam Viennæ Allobrogum idem Servetus in carcerem fuit antea conjectus; ex quo jamtandem elapsus? nunquid non ob virulenta & postifera dogmata, quibus Christianum orbem hactenus infecerat; quæquæ in volumen grande congesta, ibidem excudi clanculùm curaverat? Non itaque amplissimus Reip. Genevensis Senatus iniquitatis argui potest, quòd præfractum hunc dogmatistam, malis auspicijs ad eorum pomæria adpulsum, in carcerem miserit, commeritasque poenas de eo, re ordine prius judicata, sumens, justissimæ Dei vindictæ exemplum in eum, pro potestate sibi divinitùs concessa, tandem statuerit.

Supplicij de eo sumti ac necis invidiam in Calvinum idem Ictus conflare conatur; quasi, eo instigante ac condemnatorem agente, dicta Potestas Genevensis iniquitatis sententiam de eo tulerit, ac in illius gratiam exsequuta fuerit. Ad quod ut multis respondeam, præter rem esse duco, quum ipse Calvinus, edito libro, rem omnem actam commemoret, rationemque pluribus reddat, de legitima vindicta, quam pius Magistratus de seditiosis Seductoribus ac hæreticis indomitis licitè sumere potest & debet; sive, cur & quatenus à magistratu quoque, legi-

tima

timâ præeunte cognitione, puniri hæreticos oporteat. Idem quidem eundem, Magistratum officij sui maturè & in tempore monuit, lupumque istum, ad diglutiendum Christi gregem curę & custodiæ suę commissum, indesinenter inhiare præmonuit non tanquã judex vel dictator sed tanquam fidelis Pastor; *attendens* videlicet *sibi ipsi, & toti gregi, in quo eum Spiritus Sanctus Superintendentẽ constituerat, ad pascendam Ecclesiã Dei, quã proprio illo sanguine acquisivit.* Nam *pro animabus* auditorum suorum *sibi vigilandum esse*, probe didicerat, *tanquam rationem* Deo *redditurus*. Sed Ictus à limine veri nimiùm aberrat, dum ait, quòd idem Calvinus Servetum ad rogi supplicium, quo perijt, condemnârit; quasi Genevæ, vel alibi apud nostros, inter munus Pastoris & Prætoris sive Magistratûs nihil interfit: quum tamen potiùs constet, eundem fidelis amici officium in hominem sibi inimicissimum feciſſe, pœnæ atrocitatem leniri, ac genus mortis mutari petens. Non itaque Calvinus pro tribunali sententiam condemnatoriam in Servetum tulit, sed competens Reipublicæ illius Magistratus: Vtinam invenerit mitius judicium apud Deum, quem tot blasphemis convitijs tamdiu obstinatissimè consectatus fuit.

Act. 20. 28.

Heb. 13. 17

De libris Serveti, quos per nostros è medio partim sublatos esse, querulatur, non est quòd laboremus; quum nihil præter immensam errorum farraginem, ac rhapsodiam ex impijs omnium ætatum delirijs ac prodigiosis in Deum blasphemijs, consutam, eos continuisse, demonstratum esset. Sunt namque omnes hæreticorum

ticorum libri, judicio Gregorij Nazianzeni, *tanquam aſpidum ova, aſpidas & baſiliſcos procreare nata:* Vnde eſt quòd Arrianorum ſcriptas inſanias ne quis legeret, non modò vetuit, ſed ignibus inſuper tradi juſtit Synodus Nicæna, auctore Nicephoro. Nec immeritò: quum Ethnici, naturâ duce, Protagoræ athei libros in publico foro exuſſêre: alios religionem enervantes, Romani & Lacedæmones: quod per copiam blandiloquentis eloquentiæ ſenſim irrepere nocentis doctrinæ cænum intelligerent. Non alius proceſſus in abolendis Serveti blaſphemijs teneri debere, vigilantes Dei miniſtri, quotquot eos unquam legiſſent, prudenter judicabant; quum in ſingulis feré paginis, referente Calvino, occurrerit, quod lectori horrorem jure incuſſerit: ut illud Maronis hoc loco uſurpare mihi liceat:

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga;
Frigidus; ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herbâ.

Sumtum igitur optimo jure de Serveto ſupplicium, non ut de Sectario quodam, ſed tanquâ de monſtro ex merâ impietate horrendiſque blaſphemijs conflato, quibus totos annos triginta, tum voce, tum ſcripto cælum ac terram infecerat, ſicut tum temporis maximoperè Satanæ rabiem exacerbavit, exortâ flammâ, quæ Poloniam primum, inde Tranſylvaniam & Hungariam, partemque magnam Moraviæ, corripuit: Ita etiam ejuſdem ſcintillæ varijs Satanæ flabellis ſubinde ſuſcitatæ, paſſim gliſcere nondum deſierunt: Ad quarum conſervationem, novorum advocatorum iſtorum operam nequam ille inveterator conduxiſſe apparet.

Porro

G. Nazianzen. Orat. 2. de Fide. Niceph. lib. 8. cap. 38. Philoſtr. in Sophiſ. Livius lib. 10.

Calvin. in Epiſt. ad Paſtores Eccleſ. Francofurt calend. Septemb. An. 1553.

Virgil. Eclog. 3. pag. mihi 10.

Porro quemadmodum *Servetus*, *David Georgius*, similosque Pseudoprophetæ, patronos suos ubique habent, qui ut fœtidi eorum cineres perpetuo caleãt, perverso suo patrocinio efficere conantur: ita etiã exsecrabilis *Anabaptistarum* colluvies, quâ multorum animi fascinati & quasi captivi ad propriam pernitiem, astu Diaboli tenentur; hucusque suos cultores ac promotores habuit, qui eam comere, pingere, excusare, & pro re natâ, etiã laudare interdum ac plausibilem incauto vulgo facere non desinunt, indignè maximé ferentes, si ejusdem Prædecessorum suorum nefaria dogmata & stupenda scelera, quæ in superiori ac inferiori Germaniâ alibique passim protulerunt, modesté ad memoriã revoces: inprimis autẽ, si inauditam & stupendam Tragœdiã illam, quâ eorum majores in Episcopali urbe & totius Westphaliæ metropoli, *Monasterij*, anno post Christum natum 1534. & seqq. egerunt, eis objicias. Nam respondent plerumque; *rem istam ad sese nullo modo pertinere, ac proinde extra aleã*, quod dici solet, *sibi objici, quod illa, vel ista, docuerint aut designaverint: quum ipsimet illis, in Cacodoxiâ ac iniquis factis suis, nunquam applauserint, aut dexterâ adjutricẽ opitulando porrexerint, vel ullo etiã modo pepercerint; sed ex toto corde potius, tum doctrinâ, tum moribus, eisdem in faciem contradixerint*: sicut in Confessione suâ, quam anno 1624. divulgarunt, pluribus videre est. Postquam enim *Menno Simonis*, sectæ istius dissectæ & ad tempus dissipatæ Recollector & Auctor, priorum furores & deliramenta in aliquam methodum doctrinæ redegit: veritate pristinâ depositâ,

Confessio fidei Anabapt. adversus Fauckelium artic. 21. cap. 1. pag. 415.

Ibid. in Responsione ad Præfat. Fauckelij pag. 18. 19. 20.

ad ordinem magis compositum, ad desperatæ causæ suæ restaurationem, deinceps aspirare plerique visi sunt, quo invidiam, priori intemperie suâ in caput suum attractam, à se averterent; ac Pharisaico suo supercilio ementitæ humilitatis tegumento ubique ferè obducto, novos quotidie proselytos ad Sectæ suæ gremium adducerent.

Menno autem iste quanti factiosos illos Monasterienſis Tragædiæ Daductos eorumque gregales fecerit, ex ejusdem libro, quem anno M, D, XXXIX. sub titulo *Fundamenti* (in arenâ scil. positi) divulgavit, non obscurè liquet; in quo *Dilectos Fratres suos* honorificè eos salutat: *Non dubito*, inquit, *quin dilecti illi Fratres nostri, qui aliquantulum nuper adversùs Dominum deliquerunt, armis fidem suam defendere conantes, propitium Deum habeant.* &c. Sicut ejus verba in Colloquio Emdano cum Sectarijs hisce anno M, D, LXXVIII. instituto, vernaculè repetuntur. Librum quidem istum Anabaptistæ hodie, ceu pretiosum *Keimæ lion* non minus, quam judei suum Talmud, aut Turcæ Alkuranum suum, magni æstimant: Sed in posterioribus editionibus ingenuam istam sui Doctoris Confessionem de Fratribus illis suis dilectis, & ex Monasterienſi tumultu nunc clarissimis, astutè omittunt. Non verò potuit, vel debuit Menno Fraternitatis honorem ac observantiam Monasterienſibus suis negare, quum ipso fatente, ab *Obbone Philippi*, Groningæ anno M, D, XXXV. retinctus, fanaticorum istorum nido dissipato, mox à quibusdam

Menno Simonis in Libro Fundamẽtali, anno 1539. edito lit. R. 7. Protocoll. Emd. art. 11. act. 101, cap. 2. foll. 302.

Menno adverſ. Gellium Fabrum. lit. G. fol. 6.

buſdam ex ejuſdem reliquijs, fugâ commodo ſuo forte elapſis, in Hierophantam ſit vocatus. Neque etiam moderni Anabaptiſtæ id honoris ijſdem Regnicolis Monaſterienſibus ullo modo negare poſſunt; quum fundamentalia eorundem dogmata precipua mordicus hodie quoque retineant, & pro ijs, tanquam pro aris & focis, quod dicitur, adverſus nos diſceptent. Acriter quidem id à ſuo capite amoliri conantur, regerentes, quòd etiam nos cum Pontificijs, ac Lutheranis, alijſque, *Chriſtum in carnem veniſſe*, ſive, *carnẽ ex carne noſtrâ, & os ex oſſibus noſtris factum eſſe*, & ſimilia, aſſeramus, licet in multis diſſentiamus: neque tamen, nos in caſtris Antichriſti vel hereticorum militari dici velle. Sed diſſimilis ratio hîc occurit: quia iſtud vel ſimilia non aſſerimus, quòd Pontificij alijque idem tenent; ſed quia ex ſacrarum literarum perpetuo tenore id hauſimus, didicimus: cui perperàm ceu contumaces Antichriſti gregales, ac impuri canes, oblatrant.

Confeſſ. Anab in Reſp ad Præfat. Fauckelij. pag. 18 19.

1 Ioh 4. 2. 3. Ephes. 5. 30 Hebr. 2. 14. 16. 2. Rom. 1. 3 & 9. 5.

Quærant igitur poſthac, ſi illis ita placet, Ictum quendam verſipellem, qui *Iohannis Angelij Werdenhagen* exemplo, *Serveti* & *Davidis Georgij* admiratoris & novi Patroni, in medium prodeat, & præclaros illos heroes ſcil. *Iohannem Becoldum Leidenſem*, *Bernardum Rotmannum*, *Knipperdolingum Krechtingum*, cæteroſque Tragædiæ Monaſterienſis præcipuos actores, Lycambicâ ſeu Satyricâ ſuâ Apologiâ, ceu *viros optimos, ſummè pios, & verè ſanctitati vitæ addictiſſimos in Chriſto, imò Sanctorum optimos*, Encomiaſtes in eorum gratiam extollat, & con-

tra loquentibus authoritate sua os obturet. Sed omne oleum & aquam, quod dici solet, is perdet protinus, certus novi: quum tot testium, diversum uno ore & calamo idem testantium, continuus splendor, ejusdem obscuras nebulas, coruscantibus radijs suis acutim discutere possit.

Inter hos merito connumerari potest Celeberrimus Ictus D. CONRADVS HERESBACHIVS, Principum Juliae, Cliviae, Montium &c. Institutor, & intimus postea, quamdiu vivere, Consiliarius: qui in castris Episcopi & Principum, durante obsidione Monasterienſi, Principi suo utrique ad latus continuo adherens, maxima & minima, quae notatu digna quotidie inter obsidendum occurrebant, probè consignavit, & urbe capta in eam ingressus, & cum Rege caeterisque factionis Ductis seriam collationem, coram Principibus ac castrorum Praefectis, instituit, eorum dogmata ac susceptci facinoris rationes diligenter consignavit, tandemque in aulam *Dusseldorpiensem* reversus, ad D. *Erasmum Roterodamum*, familiarē ac intimum ab annis multis amicum, consentiente ac jubente utroque Principe, singula prolixis literis suis retulit; eidemque, ut totam historiam Tragaediae Monasterienſis accurato penicillo suo, in gratiam Christiani orbis describeret, author fuit. Sed quum Erasmus eodem anno de caducâ hac vitâ ad meliorem migraret, ejusdem desiderio & exspectationi satisfacere non potuit.

Quum vero Herresbachij *Autographon* ab amico, quodam mihi communicatum, jam ab

annis

annis multis apud me latuerit, id cum alijs historiam illam tractantibus contuli, tandemque notas ac hypomnemata tùm historica, tùm Theologica, tum Politica ac philologica nonnulla, adjeci; textum Heresbachianum in certa capita secans, & si quid singulare ab authore meo refertur, quod ab alijs silentio prætereitur, suo quoquo loco, in gratiam Lectoris, indicans. Quos meos conatus quum viris amplissimis & doctissimis, plurimis, in Ecclesijs ac Scholis in Ducatu Geldriæ ac Cliviæ docentibus alijsque probari intelligerem, illos prælo committere tandem volui. Ad quod reverendus clarissimusque Vir Dn. IACOBVS LAVRENTIVS, Ecclesiastes *Amstelrodamensis*, frater ac Symmista mihi in Domino carissimus, operam suam pro humanitate suâ lubens volensque mihi obtulit, apud fratrem suum HENRICVM LAVRENTIVM, industrium Typographum, seriâ commendatione suâ tantum perficiens, ut editionem in se receperit.

Quum verò juxta scitum illud Aristidis dictum; *Deo quidem templa consecranda: Viri autem eximij librorum dedicatione honorandi sint*: mihi in trivio cogitationum diu constituto & addubitanti, cui pro more nunc tralatitio, lucubrationes hasce meas ad Doctoris HERESBACHII historiam illustrandam institutas, dedicarem; potior tandem sententia visa est, Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Viri, vestro augusto nomini esse inscribendas: Tùm quòd argumentum hisce contentum à vestrâ professione & dignitate alienum mine-

mé esse censebam, quippe qui abominandam & nefariam illam Anabaptistarum impietatem, ac seditiosam eorundem conjurationem, quam hic vel refero, vel refuto, cane pejus & angue, ut par est, odistis: Deo ter opto. maxo. Principibus patriæ, ac Reip. cui quilibet vestrûm suâ in statione & loco indesinenter non minus, quàm fideliter ministrare gestit, fidem vestram operamque continuam probare sic quidem satagitis, ut de salute optimæ patriæ, de stabilitate Reip. de Ecclesiarum Euangelicarum vel restitutione, vel incolumitate, de legum conservatione, de libertate civium, de pudicitiâ liberorum ac conjugum nostrarum, sub vigilanti regimine vestro, optimé in posterum sperare non desinemus; laresque nostros ab hoc inusitato prorsus & tristissimo genere calamitatis, quo inclyta *MONASTERIENSIS* Resp. per sceleratos istos turbones olim perdita fuit, immunes fore, confidamus. Tum etiam, quòd clarissimi *D. HERESBACHII*, quem redivivum quasi vobis exhibeo, nomen & memoriam gratam unicuique vestro esse, probè sciebam: quum ille, sicut Sol inter minora sidera, sic inter ingenuos & doctrinâ virtuteque illustres patriæ nostræ cives excelluerit; & tùm in Principum Illustrissimorum Iuliæ, Cliviæ, Montium & cæt. Ducum institutione, tùm consilijs sagacissimis & utilissimis, ad Ecclesiam & Rempub. in hisce Provincijs constituendam, quę idem quondam senili prudentia & gravitate incredibili Principibus ac Patriæ Proceribus suggessit, immortalẽ sui memoriam reddiderit.

Deni-

Denique quàm præclarè atque egregie idem D. *HERESBACHIVS* de vestro ordine & dignitate senserit, id luculenter idem eo probavit, quòd Vos ceu almę patriæ nostrę Proagoros præ cæteris Testamonis à se conscripti Ephoros atque *Hu pour gous* seu Superintendentes Fundationis, quam Heresbachio Duynanam vocare solemus, perpetuos designârit; qui nempe providi attenderent, ut ex suis, ac primæ conjugis suæ *MECHTILDIS DVYNANÆ*, nobilis ac religiosæ matronæ posteris, id est, eorum sanguine legitime ortis, duo quotannis bonæ spei juvenes, quorum indoles â Gymnasij seu Scholæ cujusdam particularis Pædagogearchâ probè explorata, ac testimonio idonęo anté laudata sit, in Scholis per decennium, ex reditibus utriusque in hunc usum destinatis & voto perpetuo quasi consecratis, alerentur: sic, ut in trivialibus per quinquennium, & postea in Academijs, quod reliquum est quinquennium, facultatibus ac studijs majoribus operam strenuam navarent, & sive ad Ecclesiæ, sivé Reipubl. regimen imposterum capescendum, maturé se excoli ac aptari curarent. Ne verò pium hoc eorundem institutum incuriâ vel negligentiâ tandem aliquando inverteretur, pij hi conjuges in Fundationis suæ tabulis à V. V. V. Magnif. ijs & Ampl. bus, ceu perpetuis Beneficij sui Curatoribus, unicè contenderunt, ut alternatim deinceps tum ex Heresbachiana, tum ex Duynanâ linea descendentibus constitutum ex eo dimensum singulis annis ad studiorum *Enkuklopaidian* absolvendam,

probé & fideliter distribueretur: Ex reliquâ autem parte, quędam ex eorundem Fundatorum prosapiâ orta puella, quæ pudicitia & integritate morum probata sit, vobisque tanquam attentis Provisoribus & Superintendentibus prędentata, secundum majora vota quotannis una dotaretur, quo honesto matrimonio eadem elocari maturé possit. Deniąue, ut rationem acceptorum & expensorum accuraram singulis annis à redituum prędictorum Præfecto reposceretis, ijdem serió caverunt.

Quod onus quum vestris humeris semel susceptum vos hactenus singulari studio & judustria sustinueritis; omnino persuasum est mihi, quod pro summa facilitate & humanitate vestra fætum hunc posthumum Doctoris *Heresbachij* veste nova à me indutum, & ad pulvinaria vestra depositum, grato qnoque & liberali animo susceputi sitis. Id vero unum à vobis, Euergetæ magnifici, summè contendo, ut sicut *Heresbachij* memoria & recordatio nunquam non jucunda vobis accidit: ita me famę & existimationi ejus consulentem, ejusque sub umbra modó delitescentem, in fidem & clientelam vestram benignè recipere, ne renuatis.

Sic vos Dominus *Iesus* Reipublicę & Ecclesiæ patriæ incolumes diu præstet, ac benedictione omnigena coronet & ad augeat. Id vovet

Vestrarum Nobil. & Amplitud.

Observantissimus cliens

Theodorus Strackius Pastor

Budericensis.

Exarabam Buderici Clivorum, 12. Feb. Ao. 1636.

Ad

Ad reverendum & doctissimum *Dn. Theodorum Strackium* Ecclesiasten *Budericensem*, Epistolam Heresbachij, quæ factionem Anabaptistarum describit, cum commentario edentum, amicum suum.

Inclytus haud moritur fatis Heresbachius illis:
Sic pietas meruit. sic monumenta viri.
At magis, ut fas est, rata vita manebit eidem,
Publica si facias, quæ invida cista tenet.
Istud conaris famæ non invidus, ejus
Dum prodis foetus qui latuêre diu.
Et quia præterea nudos insignis amictu,
Aevo nec memori te eximet ulla dies.
Perge ita, sic feri carpent tua poma nepotes,
Quorum te patres pascere voce juvat.

Philias heneka.

M. Joannes Santenus Gymnasij
Wesalienſis Rector.

INDEX RERVM ET VERborum hoc libro contentorum, in quo primus numerus Caput, alter verò sectionem notat.

A.

ADami anima haud quaquam terrena fuit 6. 18.

Adolphus Clarebachius Martyr, ejusque zelus in asserendâ Euangelicâ veritate. 8. 6.

Æsopi Apologus de Leone aliisque animantibus ad venationem profectis. 12. 2.

Ejusdem Apologus alter de Ranis & earum rege. 7. 4.

Affelmanij Rostochiensis opinio de Eliâ tertio post primum venturo enervatur. 7. 5.

Alberti Hungeri Ingolstad. Theologi testimonium de constantiâ martyrũ Euangelicorum. 8. 14

Alkurani Turcici conflator quis. 3. 10.

Alacritas ministrorum Euangelicorum in oppugnandis Anabaptistis. 2. 5.

Alethea à Weum fœmina ob Anabaptismum Wesaliæ incarcerata. 8 3.

Alexandri M. Continentia. 13. 11.

Amstelrodamum ab Anabaptistis invasum fuit. 7. 14.

Anabaptismus jam pridem Ecclesiam commovit. 6. 13. Anabaptismi choragi precipui in Germaniâ quinam fuerint. 2. 4. quopacto in Westphaliam irrepserint. 2. 5. ijdem undique Monasterium confluunt. 3. 11. jidem in bona Pontificiorum & Euangelicorum involant. 3. 11. Culinas publicas Monasterij instituunt. 4 7.

Anabap-

Anabaptiſmum varij hæretici olim ſtabiliverunt. 6. 16.

Anabaptiſtę Novatiani ſunt. 6. 21. ijdem plagiarij. 6. 23. Error eorum turpis, 2. 5. Eorum hypocriſis. 3 11. Eorum impoſtura, 7. 8. Clamor eorum ſeditioſus. 4. 1. 5. Eorum phantaſtica moroſitas, 8. 18. Eorum enthuſiaſtica laguncula, 8. 15. Eorum leonina ſocietas. 12. 2. Eorum cantiunculæ, 6, 16. Eorum mania. 8, 16. Eorum novæ leges. 7. 1. Eorum proſelyti. 4. 6. Eorum matrimonia nova. 5. 2: 6. 13. Eorum polygamia. 5, 5: 6. 13. Eorum cæna cyclopica, 6, 3: 11, 1. Eorum chorea regia Monaſterij inſtituta. 11. 7. Eorum fictę viſiones. 7. 12. Eorum Reſtitutionis liber. 11, 13. Eorum Iudith fictitia, 12. 15. Eorũ error de poſſeſſione bonorum. 6. 7. Eorum error de communione facultatum. 6. 8. Eorum error de officio Magiſtratûs. 6. 10 Eorum error de incarnatione Chriſti. 6, 18. Error eorum de Libertate Chriſtianâ. 6 23. ijdem veniam lapſis negant. 6, 21. Eorum factioſum conſilium quomodo infatuatum ſit, 7. 17. ijdem igni baptizati. 6. 17. ijdem cæci aſini. 12. 6. ijdem ab Haſſiæ Landgravio officij monentur. 12. 14.

Anabaptiſtarum Apoſtoli emiſſi, eorumque nomina. 11. 8.

Anabaptiſmus mandato & exemplis in S. Literis deſtituitur. 6, 13.

Antichriſti adventus. 7. 11.

D. Antonius Tutelaris Weſalienſibus olim fuit. 8. 6 Quot porcos quotannis ex conſtituto eidem aluerint. ibid.

Antonius Furſtenbergius Paſtor Weſalienſis Pelagianizans.

lagianizans. 8. 6.
Apostatarum perfidorum pœna. 6. 22.
Apostoli quomodo omnia reliquerint. 6. 8. Ad quid eidem pulverem ex pedibus excussserint. 7. 15. Eorum simiæ Anabaptistæ. Ibid.
Apprehendent VII. Mulieres virum, quid sit Esajæ. 6. 15.
Ariani Anabaptistę fuerunt. 6. 13.
Aristocratia quid sit. 3. 3.
Aristoteles Platonis errori de communione bonorum contradixit. 6. 9.
Athanasius de Cæremonijs. 6. 1.
Ave quatenus & quibus non dicendum sit. & 18.
Aulæ pictura elegans. 14. 11.
Aulica vita splendida miseria. ibid.

B.

Balthasar Harnischmaker Anabaptista Westphalienſie. 8. 3.
Baptismus infantium quibus argumentis asseratur. 6. 16. Quis ejus author. 6. 16. An in Ecclesiâ retinendus. Ibid. Baptismus iterari non debet. 6. 13. Baptismus ignis quis sit. 6. 17.
Basilius Monnerus Ictus. 6. 14.
Becanus Iesuita. 1. 2.
Bernardi Abbatis testimonium de Anabaptistarum sui temporis pertinaciâ. 8. 14. Ejusdem pium dictum. 6. 18: 6. 21.
Bernardus Cnipperdolingus. 3. 11: 3. 15: 4. 3. Fit Carnifex. 11. 6.
Bernardus Creehtingus Nobilis Anabaptista. 3. 11: 10. 9.

Bernardus Rotmannus. 3. 1. 11. Factiosus ejusdem conatus Monasterij. 3. 11. 13.
Ejusdem interitus, 13. 17.
Bernardus Samson indulgentiarum præco, 8. 6.
Bibliotheca Monasterij combusta. 4. 9.
Blasphemi mandato Dei severè puniendi. 8. 12.
Bolsweerda ab Anabaptistis occupata. 7. 14.

C.

Calvini sententia de dicto Genes. 3. vers. 15. defenditur. 6. 18.
Carolus Sutor Anabaptista Wesalienſis, 7. 14. 8. 13.
Caspar Scioppius, 1. 2.
Castitas Ioſephi. 13. 11.
Catechesis, Catechista, Catechumenus quid sit, 8. 15.
Catechismi Cæremoniæ apud veteres quæ fuerint. 8. 15.
Catechismi Buscoducensis sacrilega doctrina, 8. 8.
Cataphrygæ hæretici, 3. 14.
Cathari, 6. 21.
Cæremoniæ variæ in Papatu, 6. 2.
Christus an carnem ex substantiâ matris assumserit. 6. 18. Idem est semen Abrahæ & fructus ventris Davidis. ibid. Quomodo idem supernè venerit. ib.
Christo quomodo corpus Pater aptaverit, 6. 18.
Christiani jam olim varijs nominibus impetiti. 8. 7. An rerum omnium communionem habuerint, 6. 8. Christiano an licitum sit propriàs facultates habere, 6. 7.

Chrysostomi

Chriſtomi dictum de Antichriſtianis, Impoſtoribus, 3. 5.
Ciconia Anabaptiſta, ejuſque fraus. 2. 4.
Cippenbrochus Anabaptiſta Monaſterienſis, 3. 11: 4. 3.
Circes poculam, 8. 17.
Circumforanei errones eorumque impoſtura. 7. 11.
Cives quidam Monaſterienſes ſclopetis trajecti. 5. 5.
Cochaba Iudaicæ factionis caput. 3. 6. Ejus impoſtura. 3. 7.
Cæca obedientia Papiſtarum. 14. 5.
Cæleſtes prophetæ qui. 3. 14.
Cæna Anabaptiſtarum cyclopica, 6. 3: 11. 1.
Colloquium Francothalenſe cum Anabaptiſtis. 6. 13.
Commerciorum uſus licitus, 6. 6.
Comitia Eſſendiæ inſtituta. 9. 5.
Communio rerum, cujus Lucas meminit, quæ fuerit. 6. 8.
Conciones Papiſtarum nugis & anicularum ſomnijs repletæ. 14. 4.
Concubinæ quindecim Regis Anabaptiſtarum, 10. 5.
Conflictatio inter Euangelicos & Anabaptiſtas Monaſterij. 4. 1.
Confluentinus Conventus Principum adverſus Anabaptiſtas. 4. 2: 9. 5.
Conjugum mutua obligatio, 6. 13.
Conſtantia martyrum, 8. 14.
Conſtupratio militaris fœminarum indigna. 13. 11.
Cornelius Martyr, 6. 13.

Creſcite & multiplicamini, *quid ſit.* 6. 14.
Culinæ publicæ Anabaptiſtarum Monaſterienſium. 4. 7.
Cycnea cantio *quid ſit.* 1. 7.
Cypryanus *Martyr Anabaptiſmum aſſeruit,* 6. 13.

D.

DAventriam Anabaptiſtæ invadunt. 7. 14.
David Georgius hereticus. 10. 8.
Dei Semen, *Maleach.* 2. *verſ.* 15. *quid ſit.* 6. 13.
Democratia, 3. 3.
Diademata regia Anabaptiſtarum Regis. 10. 4.
Diſcipulus, *Papiſticorum Sacerdotum ſolatium.* 14. 4.
Diſputatio cum Rege Anabaptiſtarum & ſocijs poſt captam urbem. 13. 8.
Diſſidium civium Monaſterienſium, eorumque interneccio. 12. 3.
Divitiarum uſus, 6. 7.
Divortij cauſæ quæ ſint. 6. 13.
Doctrinæ Euangelicæ ſinceritas ſub Papatu corrupta. 14. 4.
Dominorum officia erga ſervos, 6. 11.
Donatiſtæ hæretici. 6. 13.
Dori eunuchi larvâ induti Monachi plerique ſunt. 6. 4.
Dormi ſecure *Papiſtarum.* 14. 4.
Duces Regis Anabaptiſtarum, eorumque inſignia, 12. 5.

E.

Ecclesiæ status tempore Hadriani Imperatoris qualis fuerit. 3. 12.
Ecclesiæ Papalis status vi & cædibus suffultus. 8. 4.
Edictum regium Johannis Beccoldi Leidensis, Regis Anabaptistarum. 12. 3.
Elias Thesbites num ante Antichristum sit reversurus. 7. 5.
Elias pervium an sit promissum. 7. 5.
Elsa Ghewandsnijwerders Regina Anabaptistica. 10. 5.
Enthusiastæ quinam sint. 8. 16.
Enthusiastæ Hassi cujusdam factum. 4. 9.
Ephesij ad Christum conversi quosnam libros combusserint. 4. 9.
Epiuikia quid sint. 14. 2.
Episcopus quid sit. 7. 2.
Episcopus Monasteriensis Anabaptistas bello petit. 4. 2.
Erasmi Roterodami Laus. 14. 4.
Exsecrationes Comitia ob Anabaptistas profligandos celebrantur. 9. 5.
Euangelici cum Pontificijs ab Anabaptistis Monasterio expelluntur. 4. 1: 3. 11.
Eucharistia. 14. 2.
Eunuchi in Papatu quales. 6. 4.
Exercitio pulveris pedum Apostolorum quid significet. 7. 15.
Expugnatio urbis Monasteriensis 13. 3.

F.

Fabri Viennensis. 13. 4.

Fame

Eamus mori in festa quam. 4. 13.
Eamus obsessorum Monasteriensium quam a fuerit. 12. 7.
Philéchoros ad aliquid evadere, quid sit. 9. 3.
Filiæ Ducis Clivensis Carolo M. Imperatori nuptum fidei reddunt. 8. 11.
Flisstedius Martyr. 8. 6.
Franciscus Waldeckus Episcopus Monasteriensis. 3. 2. 9. 1.
Fridericus Comes à Wida. 3. 2.
Furere quid sit. 8. 16.

G Amalielis dictum. 14. 9.
Gerhardus Bungartius Consul Westphalensis. 8. 6.
Georgius Dorstenius Monachus ad dispensationem à Clarenbachio Westphalo profectus. 8. 6.
Georgius Gordelmacher Anabaptista Westphalensis. 8. 3.
Georgius Schenckius Erfurtensis. 7. 16.
Germanorum nobilium quorundam tyrannis in servos taxatur. 6. 23.
Guilielmus Dux Clivensis Martinum oderat. 8. 11. Idem fit Protestantium fautor. Ibid. Ejus zelus in Comitijs Augustanis laudatus. Ibid.
Guilielmus Belgus Iurisprudentiæ vindex. 14. 4.
Guilielmus Cognatus Medicinam instaurator. 14. 4.
Guilielmus Kauffmacker Anabaptista Westphalensis. 8. 3.

Guilielmus Schleeboſch Anabaptiſta Weſalienſis. 7. 14.
Guolfgangus Guilielmus Neopyrgicus Palatinus 8. 11. Ejuſdem Reverſalia Euangelicæ de Libertate religionis conceſſa. 8. 11.

H.

Hadrianus Imperator. 3. 6.
Hæreticorum non unum genus eſt. 8. 4. *quomodo ſint compeſcendi. ib. quis ſit eorum genius.* 8. 7.
Hæreſes quopacto emerſerint. 3. 4.
Haſſi miniſtros Euangelicos Monaſterium mittunt. 3. 1.
Henricus Bartzius Oliferus. I. C. Cancellarius Clivenſis ejuſque laus. 8. 3.
Henricus Broelius Scribæ Ducatûs Clivenſis. Ibid.
Henricus Knippinck Anabaptiſta Weſalienſis. 7. 14.
Henricus Hilverſum Anabaptiſta Monaſterienſis ejuſque impoſtura. 11. 11. *Ejuſdem ſommium.* 7. 14: 11. 11.
Henricus Santes Anabaptiſta Weſalienſis. 8. 3.
Henricus Schroeder Weſalienſis Anabaptiſta. Ibid.
Henricus Slatius ejuſque ſupplicium. 8. 4.
Henricus Rollius Anabaptiſmum primus Monaſterij ſparſit. 3. 13.
Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis. 4. 2: 9. 2.
Hermannus Buſchius Dulmenſis. 4. 4.

Hermannus Stapreda Moersensis Anabaptista. 3. 13.
Heraclitus Imperator, 3. 10.
Hermias hereticus igni baptizari voluit, 6. 17.
Hierosolymitana fames. 12. 10.
Hierosolyma Monasterienſis Anabaptistarum. 4. 6.
Hieronymus Pragensis Martyr, 8. 14.
Homerus, 12. 13: 14. 3.
Honorij Imperatoris lex, 6. 13.
Hubertus Trutelingus Anabaptista deridet suo damno, 3. 15.

I.

IAcobus Mortonus martyr Anglus. 8. 8.
Idolomonia Pontificia, 14. 6.
Iesuitarum singularis devotio. 1. 2.
Impositio manuum, 6. 16.
Impostorum notatio. 7. 7: 3. 5: 7. 11.
Indulgentiarum nundinatores, 8. 6.
Indulgentiæ à Wesalienſibus ad quid olim petitæ. 8. 6.
Infantes fidelium ad Ecclesiam pertinent, 6. 16.
Inquisitorum tyrannidis instrumenta. 8. 14.
Iohannes Affelmannus Rostochiensis Theologus. 7. 5. *Ejus opinio de Elià tertio. Ibid.*
Iohannes Boëmus in Nobiles Germaniæ invehitur. 6. 23.
Iohannes Campensis Anabaptista. 7. 14: 11. 11.
Iohan-Andreas Coppensteinius Exiesuatus Dominicanus. 14. 6.
Iohannes Becoldus Leidensis. 3. 15: 5. 4. *Fit Nomotheta*.

motheta. 7. 1: 10. 1. Eliam se vocat in Prophetis promissum, & vocem illam clamantis. 7. 5. & 6. quopacto à sartoriâ ad regnum devenerit. 10. 3. Ejus vafrities. 3. 13. idem Pseudoprophetæ Anabaptistarum. 11. 14. Vide literam. R.
Iohannes Dux Clivensis. 4. 2. idem orthodoxias amans. 8. 11. Episcopo Monasterienſi opem fert. 9. 2.
Iohannis Filiczki Vngari poëtæ de Iudicis officio distichon. 8. 15.
Iohannes Gelenius Anabaptista. 7. 14.
Iohannes Gogreve Cancellarius Iuliacensis. 1. 1: 8. 3.
Iohannes Hussus Martyr. 8. 14.
Iohannes Matthiæ Pseudoprophetæ apud Anabaptistas Monasterienses. 3. 15: 4. 9: 10. 10: 11. 11.
Iohannes Oecolampadius. 2. 5: 3. 14: 13. 4.
Iohannes Langestratius Secretarius Regius Monasterij. 13. 15. Idem sit proditor ejusdem. Ibid.
Iohannis Menhemij Catechismus. 8. 11.
Iohannes Stigetius de Anabaptistis Monasterienſibus. 7. 17.
Iohannes Sonsbecensis Augustinianus ejusque zelus in orthodoxiâ adversus Papatum Wesaliæ. 8. 8.
Iohannes Tetzelius Indulgentiarum propola. 8. 6.
Iohannes Vlattenus Propositus Cranenburgensis reformationis Ecclesiarum amans. 1. 1.
Iohannes à Weum Anabaptista Wesalienſis. 7. 14.

Iohannes Fridericus Dux & Elector Saxoniæ. 9. 4.
Isocrates de Legibus. 7. 2.
Iudith Anabaptistica Monasteriensis. 12. 15.

K.

KAtæchæsis & Katæchizein quid sit. 8. 15.
Krechtingus Nobilis Anabaptista. 3. 11. 10. 9.
Knipperdolingius, vide B.

L.

LActanti dictum de tractandis hæreticis expenditur. 8. 4.
Leidæ Batavorum olim Anabaptistæ malè exceptæ. 10. 11.
Lamunculæ enthusiastica Anabaptistarum. 8. 15.
Lectio S. Scripturæ quibus competat. 8. 8.
Leges novæ Anabaptistarum. 7. 2.
Leges haud multiplicandæ, ibid.
Lex imperatoria contra Anabaptistas. 6. 13.
Libertas Christiana quæ sit. 6. 5.
Libertas naturâ omnibus communis. 6. 13.
Literæ humaniores aliquamdiu obscuratæ fuerunt. 14. 4.
S. Literas vernaculè legere nium piaculum & grandæ scelus sit. 8. 8.
Loer insulanum Heresbachij. 14. 12.

Luthgardis Botermans fœmina Anabaptistica Wesaliæ. 8. 3.
Lutherus. 2. 5: 3. 14. an fuerit Elias ille, de quo Maleachi. 7. 5. idem indulgentiarijs se opposuit. 8. 6. Ejus doctrina non est hæretica. 8. 11. Quinam ex ejus libris Wesaliæ ex publico quondam Senatûs decreto combusti. 8. 6.

M.

MAgistratui an Christiano obediendum sit. 6. 10. Magistratui tributa imponere & exigere fas est. 6. 5. Magistratûs officium an sit secundum carnẽ. 6. 11. an sit extra perfectionem Christi. 6. 12. Idem est custos utriusque tabulæ Legis divinæ. 8. 4.
Magistratûs pij studium in seductis convertendis qualenam esse debet. 8. 4.
Magistratûs Wesalienſis pia admonitio ad Pastores in dogmate dissentientes. 8. 6.
Mahumetus Arabs novæ sectæ repertor. 3. 10: 7. 7. Ibid. 11. Ejusdem impostura. 3. 10.
Mainæstai quid sit. 8. 16.
Maleachi dictum de Eliâ venturo expenditur. 6. 13: 7. 5.
Maniæ quibus sit peculiaris. 8. 16.
Marcus Stubrerus Anabaptista. 2. 4.
Marchici Status cum Clivensibus ad comitia Essendiæ conveniunt. 9. 5.
Mardonius Persicus à Pausaniâ devictus. 13. 11.
Maria Laurettana ejusque ædiculæ ementita translatio. 14. 6.
Martinus Cellarius Anabaptista. 2. 4.

Matri-

Matrimonia nova Anabaptiſtarum. 3. 16. 6. 13. *Deo & naturę contraria. ibid.*
Martyrologij Herbornenſis verſus ad tyrannos. 8. 14.
Martyrum Euangelicorum conſtantia non eſt pertinacia. ibid.
Matthias van Loë Satrapa Weſalienſis ejuſque laus, 8. 3.
Maximilla ſcortum, 3. 16.
Mefret Papiſtarum. 14. 4.
Melchior Ringius Anabaptiſta, 2. 4.
Menno Simonis Anabaptiſmi reſtaurator. 6. 16.
Meſſias Indęorum fictitius, 11. 4.
Meum & Tuum, 6. 9.
Michaël Servetus hęreticus, in Epiſt dedic, 6. 16. *Iuſtè de eo ſupplicium ſumtum.* 6. 4.
Milites continentiam ſervare debent, 13. 11.
Miſſę abominatio. 6. 3. *ad Miſſam Filiæ Ducis Clivenſis nec ire volunt, nec volunt,* 8. 11.
Monarchia. 3. 3.
Monachorum feſtiva deſcriptio. 1. 4. *Eorum hypocriſis.* 14. 6. *Eorum ementita miracula.* 14. 6. *Eorum mira devotio,* 1. 2. *Eorum Symbolum.* 1. 4 *Eorum hypocriſis.* 14. 6. *Eorum collegia.* 1. 4.
Monachi mendicantes Eraſmi hoſtes 1. 3. *quales Eunuchi plęrique ſint,* 4. 5.
Monachiſmus quomodo mundo impoſuit, 6. 4.
Monaſterij Weſtphalorum Euangelium à B. Rotmanno docetur, 3. 1. *Quis primò Anabaptiſmum ibi ſparſerit.* 3. 13. *Anabaptiſtæ eò ſe recipiunt.* 3. 11. *Euangelici & Pontificij eò expelluntur,* 3. 11. *Senatus legitimus ibidem abroga-*

T.

TElgetum oppidum Westphaliæ. 9. 1.
Testamentarius ictus quis sit, 3. 14.
Theodorus Dusseldorpius Prætor Wesalienſis. 8. 6.
Theodorus à Wilich aulæ Clivenſis Præfectus hereditarius ejusque laus. 8. 3.
Theodosij imperatoris gnome. 3. 8. Ejus lex contra Anabaptistas, 8. 13.
Theologi Ecclesiarum reformatarum non sunt Sacramentarij. 3. 14.
Theomachein quid sit. 1. 6.
Thomas Bernardinus Martyr Anglus. 8. 8.
Totilæ Gothorum imperatoris castitas, 13. 11.
Traditionum distinctio. 5. 1. An universæ ex Ecclesiâ exterminandæ, ibid.
Turcorum conatus, 3. 10.
Tyny Rufi factum, 3. 7.

V.

VAlentinianorum hæresis. 3. 17.
Valentinus Gentilis hæreticus. 8. 4.
Vdalricus Zasius Ictus, 14. 10.
Verbo Dei exoriente, errores simul orti sunt, 3. 4.
Viglius Zwichemus Ictus, 14. 10. Ejus sales & Symbolum, Ibid.
Viri XII. Regimini Anabaptistico Monasterij

ſterij præfecti quinam fuerint. 10. 2: 12. 4.
Viſiones fictæ Prophetarum Monaſterienſium. 7. 12.

W.

WEſalia. 7. 14. *Ibidem Anabaptiſtæ incarcerati & mulctati.* 8. 3: 11. 11.
Quàm valdé olim Papatus ibidem invaluerit. 8. 6.
in Weſtphaliam quopacto Anabaptiſtæ olim irrepſerint. 2. 5.
Wilbrordi reliquiæ à Weſalienſibus olim petitæ. 8. 6.
Winckelius Præpoſitus Xantenſis. 8. 6.
Wiricus Oberſteinius belli Monaſterienſis Antanabaptiſtici olim Præfectus. 4. 2: 9. 5.
Wolfgangus Fabritius Capito. 14. 4.

X.

XCharistæria *quid ſint.* 14. 2.
Xenophon de Commercijs. 6. 6.

Z.

ZAſius Ictus. 14. 4.
Zizania cur tritico immixta. 3. 4: 14. 5.
Zizania Anabaptiſtarum. 3. 18.
Zwichemus Ictus. 14. 4.

Zwinglius.

Zwinglius. 2. 5: 3. 14. Ejusdem laus, 1. 7. Ejusdem dictum, 3. 14. idem indulgentias evertit. 8. 6.

FINIS.

Argu-

Argumentum Totius Epistolæ C. Heresbachij de factione Anabaptistarum Monasteriensium, & de Obsidione atque Expugnatione Monasterij, &c.

CONradus *Heresbachius*, *rogatu Erasmi Roterodami amici sui prolixas hasce, de factione Anabaptistarum Monasteriensium in ipsâ Westphaliæ Metropoli, Monasterio, tum factâ, literas eo fine conscripsit, ut illum ad plenam Historiam de eâdem re conficiendam provocaret. Quam ob causam initium, progressum ac finem sive exitum Anabaptistici regni diligenter notavit, postquam de rebus familiaribus, puta de valetudine, de literis mutuo mittendis, aliisque, ut amici solent, eum præmonuit. Expeditionem autem adversus factiosos Anabaptistas Monasterienses, á* Francisco Comite Waldeccensi, *Episcopo diœcesios Monasterienſis, cæterisque Principibus vicinis susceptam, atque fæliciter confectam relaturus, primo* Protatin *adeó tristis ac luctuosæ Tragœdiæ ponit, factiosos Anabaptistas veteribus quibusdam Hæreticis, quorum operâ Satan*

in Euangelij propagatione hominumque salute intervertendâ aut impediendâ, jam olim usus fuit, appositè conferens: sicut modò ejusmodi pestes illum in finem excitavit, ne scil. Reformatio orbis Christiani in doctrinâ & moribus, jam à multo tempore à pijs majoribus nostris desiderata, & à DEO TER OPT. MAX. tandem per Lutherum, Zwinglium, Melanchthonem, Bucerum, alioſque Dei viros, ſuſcepta perficeretur. Ita enim malignus ille in Germaniâ ſuperiori, & tandem quoque in urbe Monaſterienſi, aliſque inferioris Germaniæ locis, fanaticos & ſibi devinctos turbones iſtos, ex ultimis gehennæ penetralibus protulit, ut ſectas & ſeditiones excitarent, mendaciſque & impoſturis indignis Lucem Euangelij obſcurarent, nocentiſſima ſua Zizania divino tritico cœleſtis doctrinæ adſpergentes. Qui nefarij Satanæ conatus quum Monaſterij ſuccederent, Anabaptiſticam facem Pontificijs & Euangelicis prævaluiſſe Author Epiſtolæ commemorat. Vnde factum, ut hi & illi urbem & bona ſua eiſdem cedere ſint coacti. Sic itaque Anabaptiſtæ urbe inſtructiſſimâ & profligatorum facultatibus potiti, factioſum iſtud Regnum ſuum ibidem conſtituerunt, uni-

universaque tum sacra, tum profana immutârunt, Bernardo Rotmanno in Hierophantam, B. Cnipperdolingo in Consulem, Iohanne autem Becoldo Sartore Leidensi in Regem, constituto. V.

Qui Triumviri ad tantas dignitates provecti, Anabaptismi dogmata & placita mox promulgabant: quorum precipuâ quadam capita, quibus illorum mysteriis initiandi adstringebantur, ab Authore Epistolæ recitantur. VI.

Quo verò sub pretextu sua placita populo à se fascinato impostores isti obtruserint, idem Ostendit, nempe fictâ jactatione Spiritus, quo scilicet ad tam arduum opus impellantur, tum simulatâ ad resipiscentiam invitatione, tùm diei novissimi jamtum quasi instantis annunciatione, visionumque mendaciter excogitatarum narratione, & ad novam Hierosolymam suam (sic Monasterium nuncupabant) fucatâ evocatione, per literas & internuncios passim factâ. Cujus eventus additur, videlicet Conursus frequens dementatæ plebis ad eam factus: VII.

sicut quoque Causa corrumpens, nempe Punitio seu animadversio Principum VIII.

in Euangelij propagatione hominumque salute intervertendâ aut impediendâ, jam olim usus fuit, apposité conferens: sicut modò ejusmodi pestes illum in finem excitavit, ne scil. Reformatio orbis Christiani in doctrinâ & moribus, jam à multo tempore à pijs majoribus nostris desiderata, & à DEO TER OPT. MAX. *tandem per* Lutherum, Zwinglium, Melanchthonem, Bucerum, *aliosque Dei viros, susceptа perficeretur. Ita enim malignus ille in Germaniâ superiori, & tandem quoque in urbe Monasterienſi, aliisque inferioris Germaniæ locis, fanaticos & sibi devinctos turbones istos, ex ultimis gehennæ penetralibus protulit, ut sectas & seditiones excitarent, mendaciisque & imposturis indignis Lucem Euangelij obscurarent, nocentissima sua Zizania divino tritico cœlestis doctrinæ adspergentes. Qui nefarij Satanæ conatus quum Monasteriy succederent, Anabaptisticam facem Pontificijs & Euangelicis prævaluisse Author Epistolæ commemorat. Vnde factum, ut hi & illi urbem & bona sua eisdem cedere sint coacti. Sic itaque Anabaptistæ urbe instructissimâ & profligatorum facultatibus potiti, factiosum istud Regnum suum ibidem constituerunt, uni-*

IV.

universaque tum sacra, tum profana immutârunt, Bernardo Rotmanno in Hierophantam, B. Cnipperdolingo in Consulem, Iohanne autem Becoldo Sartore Leidensi in Regem, Constituto. V.

Qui Triumviri ad tantas dignitates provecti, Anabaptismi dogmata & placita mox promulgabant: quorum precipuâ quadam capita, quibus illorum mysterijs initiandi adstringebantur, ab Authore Epistolæ recitantur. VI.

Quo verò sub pretextu sua placita populo à se fascinato impostores isti obtruserint, idem Ostendit, nempe fictâ jactatione Spiritus, quo scilicet ad tam arduum opus impellantur; tum simulatâ ad resipiscentiam invitatione, tùm diei novissimi jamtum quasi instantis annunciatione, visionumque mendaciter excogitatarum narratione, & ad novam Hierosolymam suam (sic Monasterium nuncupabant) fucatâ evocatione, per literas & internuncios passim factâ. VII.

Cujus eventus additur, videlicet Concursus frequens dementatæ plebis ad eam factus: sicut quoque Causa corrumpens, nempe Punitio seu animadversio Principum VIII.

in seditiosos Anabaptistas hosce facta: de quâ Heresbachius noster sententiam suam subjungit, indicans, quâ discretione seu judicio opus sit in puniendis tum seductoribus, tum seductis, tum seditiosis, tum simpliciter errantibus: addens quoque incidenter descriptionem perversorum morum sectæ Anabaptisticæ. Quibus postea subjungit narrationem tum obsidionis urbis Monasteriensis ab Episcopo dicto aliisque Principibus factæ: tam enthusiastici facti, Iohannis Brecoldi Leidensis, quo regiam dignitatem sibi in hoc latronum seditiosorum nido conciliavit, operâ cujusdam Tuischoscurerij auri Fabri Pseudoprophetæ. Regis hujus Sartory regnum depingitur, ut & officia aulæ regiæ à ministris, ornata concubinis, opibus: sicut etiam Rex ipse notatur ab adjunctâ vafritie, crudelitate Doëgicâ, impostoris enthusiasmis, & mentitâ vocatione ad tantæ majestatis fastigium. Ad hæc indicatur modus, quo Rex regni sui initium fecerit nempe 1. indictâ Cenâ publicâ; quo-ve apparatu ad illam prodierit; splendido scil. admodum, sic ut nihil non regium ibidem esset. 2. tum habitâ concione Panegyricâ ad mortis Domini (si Christo placet) annunciationem 3. tum Convivarum perlustratione: Et 4. unius convivæ interfectione ab

ipso

ipso rege Leidensi crudeliter perpetratâ. Denique 5. ab Anabaptismi Apostolorum ad vicinas urbes ablegatione, illorumque infelici exitu; quatenus videl. illi á potestate superiore, cujus urbes ad Anabaptismum ibi disseminandum forté accesserant, puniti sunt. Tandem Author subjungit Catastrophen Tragediæ hujus Anabaptisticæ, id est, Obsidionis Monasteriensis Exitum, ac Expugnationis nidi Anabaptistici continuationem, quæ ab obsessis aliquandiu sustentata, variisque technis elusa est, tum scil. per leoninam ac tyrannicam commeatus reliqui inter se ac cives distributionem: tum per privatorum colloquiorum severam inhibitionem, ne forté popularis seditio inde suboriretur: tum denique per XII. Virorum seu Ducum creationem, quorum videl. operâ Rex tyrannidem suam pro lubitu absolveret & obsidentium conatus eo diutius defatigaret. Sed tandem universalis defectus Commeatus obsessos ad cibos non vescos, ac famem ijs propellerens, quærendos adegit, quo Rex commotus mulieres, infantes, cæteramque inutilem ac semivivam turbam, ex urbe dimisit, quo Commeatus, qui fors reliquus sibi suisque pancis sufficeret, insuperque Iuditham quandam ad Holofernum, id est Episcopum Monasteriensem a nuda

XII.

tollendum, ad castra obsidentium emisit.
XIII. Subsequitur deinceps invasio seu Expugnatio urbis, quam Heresbachius noster describit à variis causis, videlicet à Causâ movente seu irritatrice, tum antecedente, tum instrumentali seu ministrâ, tum denique à formâ expugnationis: Nam obsidentes ubi à transfugis urbis potiundæ rationem didicêre, ad locum sibi demonstratum accelerant, & fossam transeuntes, ad valli propugnaculum scalas apponunt, ac per eas adscendentes, excubitores consopitos trucidant, urbemque feliciter penetrant, noctis caligine & tempestate adjuti. Anabaptistæ frustra resistunt, tandemque ad deditionem vitæque deprecationem adiguntur. Maxima cades fit ac strages in seditiosos: Præda quoque per aliquot dies indagatur, & inter Episcopum ac milites distribuitur: Rex & Reginæ aliquot capiuntur, & in vinculis, cum regio vicario aliisque ducibus, aliquandiu detinentur, tandemque Supplicium de iisdem sumitur. Atque is Tragicus exitus regni Anabaptistici fuit.
XIV. Consilium Authoris subnectitur, quo hisce malis inposterum occurri posset, Epistolaque concluditur.

CAP

CAP I.

Conſummatiſſimo, Clariſſimoque viro D. Eraſmo Roterodamo, Theologiæ omniſque melioris literaturæ Antiſtiti ſummo, Conradus Hereſbachius S. D.

COmmodum in aulam ad Calend. ni fallor, Octobris reverſus literas ad me tuas offendi è nundinis Francofordienſibus allatas. Quæ ſanè impenſé nonmihi ſolùm, cui non poſſunt non eſſe mellitiſſimæ, ſed quum Principi, tùm proceribus aliquot, quibus eas oſtẽtavi, vehementer gratæ fuerunt; nimirum quòd de ſtatu ac valetudine tuâ nos certiores redderent, animique in nos tui, veterem benevolentiam declararent. Iam enim diu nihil de rebus tuis cognoveram ipſe, niſi quantum è literis ad Principem datis, eque grammatophoroo Comitum Rennenburgenſium pridem rogitando, ſubodorari licuit. Scripſeram jam anté, nundinis opinor Aprilibus ad te: verùm quando tu me nihil ſcribere conquereris, ſubdubitare cæpi, an litera tibi reddita in hoc turbulento ſæculo, quo nihil propé quantumvis ſanctum, inviolatum ſperari poſſit.

possit. Ac verò scribere de integro paran-
f tem, primum febris ardentissima prohibuit, quæ circa Sixy ardores me corripiens, menses aliquot periculosé ægrotantem detinuit. Id quod mihi cum plærisque amicis familiaribusque commune fuit. Nam & Cancellarius 1. Gogrevius ac Præpositus Flattenus Paulò ante, ad vitæ usque desperationem ex eodem morbo decubuerunt. Non deerant, qui 2. Moonachoon kai toon hieroon devotioribus adscriberẽt metuentibus, Ecclesiasticæ Politiæ constituẽdæ apud Principem admonitores esemus. Deinde sub nundinas autumnales mihi paululum restitutus, omninó rumpere silentium statueram: sed abreptus in Comitatu quodam Principis, id propositi rursum coactus sum suspendere. Interim tuæ literæ meas prævertentes, quod sponte facturus eram, violenter extorquent. Et quia rerum hic status exigebat, ut scriberem prolixiusculé, si succedat, tarditatem illam ac scribendi raritatem (ut tu vocas) verbositate compensabo.

Principiò igitur, quod de valetudine meâ solicitus sis, veterem tuum agnoscens candorem, habeo gratiam. Deinde quòd scribis, te cum chiragrâ podagràque atque adeò hologrâ luctari; vehementer dolet, illâ te carnificum premi tyrannide, ac non potiùs animum

mum tuum tranquilliſſimo domicilio in communia commoda literarum provehendarum conquieſcere. Relegandi erant hi tyrani 3. *ad* Sunadelphous ptochoo turannous 4. *Ocioſosque & obeſos ventres. Egmondanos atque Stunicas, apud quos hi & otij & pabuli pluſculum reperiſſent. Verùm ſcit tua prudentia, hanc eſſe naturæ neceſſitatem, ut corpus ætate provectiore reddatur imbecillius,* 5. *multaque ſenem circumveniant incommoda, cum quibus magnopere pugnave, nihil aliud fuerit, quàm,* 6. Thromachein *tametſi non deſunt, qui has longevitatis pediſſequas interpretentur. Cæterùm haud ſcio, an ſit mihi ſenectus provectior optanda, quæ his comitibus perpetuò conſtipetur. Tolerabiliora tamen incommoda, quam diu animi vigorem non exſtinguunt: quem certè neutiquam in te deficere, crebra tua eademque abſolutiſſima, veluti* Kukuia aſmata *teſtantur monumenta, adeout hac parte vel cum Neſtore, Platone, Iſocrate, aut Catone, contendere poſſis.* 8. Kaloon gar kai æ opoora kalæ.

Hypomnemata & Notæ Th. Strackij.

1. Gogrevius ac Flattenus] Ioannes Gogreve Cancellarius principis Clivenſis Guihelmi

lielmi in Ducatu Iuliæ fuit: *Iohannes* vero *Flattenus Scholaster Aquensis &* præpositus Ecclesiæ Cranenburgensis. Vterque veræ reformationis Ecclesiasticæ amans: quibus cum hujus Epistolæ authore Ducatus Cliviæ, Iuliæ & Montium multùm debent: quia sine dubio horum operâ factum est, ut passim in Ducatibus istis, sinceræ doctrinæ locus datus sit.

Ioh. Gogreve Cancellarius Iuliacensis. Ioh. Flatten. Præposito Cranenburgensis.

2. *Monachoon Kai toon hieroon*, devotionibus] Mira & singularis plane ista devotio Monachorum & sacrificulorum est, inprimis eorum, qui hodie societatem Iesu jactant, quos experientia aliquoties comprobavit, discipulis suis odium magistratûs reformationem piam tentantis instillare, inque ejus jngula ac viscera sicas & pugiunculos vibrâsse, æternis præmijs dignum facinus judicare; veteres abusus & superstitiones idololatricas Papistarũ partim impudenter negare, partim astutè incrustare mordicusque defendere. Id quod vel maximè Societatis ejus hominibus à beato patre suo *Ignatio*, commendatum esse, *M. Becanus in lib. de Repub. Ecclesiast. in præfat. ad Paulum V. Papam* jactat, videl. ne Romanæ Sedis authoritas detrimenti aliquid patiatur. Consulatur hac de re *Classicum belli sacri Casparis Scioppij.*

Devotio Monachorum mira.

3. *Ad Sunadelphous ptoochoturannous* hoc est, ad Fratres Mendicorum Principes seu mendicantes tyrannos Monachos, Erasmiomastiges, quales inter cæteros *Nicolaus Egmondanus*, *N. Stunica*, *Edoardus Leus* & *Iacobus Latomus* fuére, qui partim scriptis, partim atris dentatisque Concionibus in eum invehebantur, quàm primum

Monachi Erasmi hostes.

primum opus literarium ab eo in integram reſtitui cernerent. In horum quemlibet verè competit, quod Eraſmus in epiſt. ad Georgium Halvinum de quódàm ſcripſit: *Monachus eſt, niger eſt, nihil niſi venter eſt*, Item, *Oblatrant unus & alter*, Toon ptoochoon *ſed in abſentem*. Et ad Georgium Bovillum: *Conſpirant perſonati quidam hiſtriones, qui Curios ſimulant, & procul allatrant, coram nemo verbum*. Deniqúe ad Germanum Brixium: *Neque*, ait, *clam eſt, quàm hic inviſæ ſint bonæ literæ*, *Turanneuonoon monachoon tinoon pſeudonumoon* (id eſt monachis quibuſdam falſo nomine vocatis & ineptis Theologis regnantibus) *qui facilé Paphlagonibus ac Midis imponunt*.

4. *Ocioſos & obeſos ventres*] Elegans Monachorum hodiernorum epitheton, cujus rationem Eraſmus reddit in Epiſt. ad Chriſtoph. Eſchenveldium Telonem Popardienſem ſcribem: *Dedecoroſum eſt, quòd Sacerdotes & Monachi per luxum & ocium ventri vivunt, ſéque gulæ totos conſecrant, dum telonæ bonas literas amplectuntur*. Hinc triti verſus: Monachorum deſcriptio.

O *Monachi, ſtomachi veſtri ſunt pocula Bacchi;*
Vos eſtis (Deus eſt teſtis) fœdiſſima peſtis.

Vnde pro Symbolo ſuo jactare ijdem jam pridem viſi ſunt, quod ille Epicuri de grege porcus apud *Horatium lib. 1. Epiſt. ad Lollium*: Eorum Symbolum.

Nos numerus ſumus & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoiſque,
In cute curandâ plus æquo operata juventus.

Breviter, res ipſa oſtendit, eorum collegia ſeu luſtra

Eorum Collegia. lustra potius plena esse fædissimarum libidinum, quas putant esse voluptates concessas, non dignas pœnâ, denique tanta vis scelerum in plerisque hæret, ut cum filio Pelopis meritò exclamare & possint & debeant:

Nolite hospites ad me accedere!
Ne contagio bonis umbráve obsit.

5. *Multaque senem*] Sententia est *Horatij*, *in libro de Arte poët*, ubi ait.

Multa senem circum veniunt incommoda,

6. Theo machein] id est, *bellum cum Deo sive adversus Deum suscipere*, sicut Pharisęus Gamaliel ad collegas dicebat Mæpote kai theomachoi Eurethæte hoc est, *ne etiam cum Deo pugnare comperiamur*. Act 5. 39. Nota est fabula de Gigantibus cælum obruere conantibus, apud poëtas.

Act. 5. 39.

7. Kuknia asmata] Cycneæ seu olorinæ Cantilenæ. De Cycno enim referunt, quòd imminente morte dulcissimè cantet. Vnde *Martialis*:

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ;
Cantator Cycnus funeris ipse sui.

Et *Ovidius in Epist. VII.* quæ est Didonis ad Æneam.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis.
Ad vada Meandri concinit albus olor.

Hisce doctorum virorum præclara & elaborata scripta, quę abijs vicinâ morte eduntur, comparari solent: sicut (exempli gratiâ) *Henr. Bullingerus de brevi expositione Christianæ fidei Huldrichi Zwinglij in Prefatione* ait: *Quanquam is omnia sua clarè, circumspectè & dilucidè dixerit: hoc tamen libello sese veluti superans, de verâ fide*

râ fide nescio quid cycneum vicinâ morte cantavit.

8. Kaloon gar kai hæopoora kalæ, *Bonorum enim laborum glouosus est fructus*, Gnome ex *libro Sapientiæ cap.* 3. 15. petita.

CAP II.

PORRÓ festivum est hoc, quod 1. Peri tæs Epis trateiæs *Monasterienſium ludis: etiamsi res nobis hic geratur minimè ludicra, ut quæ* 2. Pollas iphthimous ptuchaiaidi, Sproiapsen *Atqui ego* 3. Exoo beloon, *spectator esse malui, quam fabulæ tam tristi atque cruentæ adhiberi actor. Opinor te jam pridem Tragediæ hujus Protasin audisse, nempe* 4. *in superiori Germaniâ ceptam per choragos quosdam Pseudoprophetas, homines indoctos è rudi plebe, scilicet ex sutoribus & vestiarijs vanâ conspiratione auctos, qui literas ne gustârunt quidem: quum tamen has Spiritus Sanctus per Scripturam testetur, esse* 5. *certissima media & instrumenta ad rectè Scrutandam intelligendamque doctrinam. Qui,* 6. *quum illic tentatis omnibus, reliquos actus absolvere non daretur, ad nos secundo quidem Rheno defluxére, præsertim occupato semel Monasterio, urbe quum amplissimâ, utpote quinque Collegiorum, ac totidem Parochiarum capaci, tum ad hoc negocium gerendum idoneo receptaculo.*

ceptaculo. Atqui, quemadmodum etiã in coronide epistolæ tuæ flagitare videris, ut Regni hujus auspicia, progressum atque administrationẽ describam, neque akephalæn *fabulam narrem, eandem tibi Paulò altius repetam.*

Hypomnemata & Notæ Th. St.

1. *Peritæs Epistrateias*] De Expeditione adversus Monasterienses Anabap. susceptâ.

2. *Pollas iphtimous psuchas* & cæt] id est, *Multas generosas animæ ad inferos misit*: sicut de Achillis furore cecinit *Homerus Iliad. a.*

3. *Exoo beloon*] id est, extra teli jactum, quæ Phrasis *Xenophontis* est, *Pæd.* 4.

4. *In superiori Germaniâ*] Tradit de hoc præter *Sleidanum Bullingerus lib.* 1. *cap.* 1, *adversus Anabaptistas*, & *Abrahamus Sculletus in Annalibus Euangelij renovati, Decad.* 1. *pag.* 76. 77.

Anabaptismi choragi præcipui.

& 5. Choragos Anabaptismi præcipuos nominant *Nicolaum Ciconiam*, *Marcum Stubnerum*, *Martinum Cellarium*, *Thomam Muntzerum*, *Phifferum*, *Melchiorum Ringgum*, & alios quosdam, qui circa annum Domini 1521. & sequentem 1522. in eâ parte Saxoniæ, quæ est ad Salam flumen exorti sunt, passimque deinde oberrantes semina fanaticæ illius sectæ, quam Anabaptisticam dicimus, sparserunt, inprimis *Ciconia* & *Muntzerus*: quorum ille se penitus literarum imperitum simulans, sitiqúe divinitus scientiam salutarem contingere prædicans, plurimos ex plebe imperitâ & simplice deceptos, falsitate opinionis perniciosæ complebat: hic vero homo

Ciconiæ fraus.

ro homo (ut ajunt) illiteratus quamvis esset, nihilominus quùm voce tum scriptis in publicum editis, errores suos in universam Germaniã disseminabat, primum *Cyneæ* in Misniâ, deinde *Alstedi* ad fines Thuringiæ & Saxoniæ. Quo mox ejectus *Norimbergam* ac in superiores Germaniæ partes irrepsit: inde in Helvetiam profiscés, ubiq́ue seminibus furoris sui sparsis: Deniq́ue in *Thuringiam* post tempus bimestre reversus, *Mulhusium* Ecclesiæ novæ condendæ sedem delegit, ubi magnus ad eum concursus fiebat, ipseq́ue folles seditionũ sedulus inflabat: sicut postea tumultus rusticorum per *Sueviam* & *Franconiam* alijsq́ue in locis satis comprobavit. Muntzeri furor. Rusticorum tumultus.

5. *Literas certissima esse media*] Quod Cognitio linguarũ certum sit mediũ ad rectè scrutandam intelligendamque doctrinam, ex eo liquet, quod Deus quoties Prophetas Doctoresque Ecclesiæ suæ destinare vellet, eosdem donis his instrueret: sicut abundè liquet ex exẽplo Saulis. 1. *Sam.* 10. 6, 9. Mosis, Davidis, Salomonis, & Apostolorum, *Act.* 2. 14. Atque ideò *Paulus Deo gratias agit, quod diversis linguis loquatur*, 1. *Cor.* 14. 18. Quare hi homines turpiter errãt, quũ Apostolorũ se quàm simillimos arbitrantur, quũ artiũ & linguarum rudissimi Scripturas interpretantur. Cognitionis literarum necessitas. 1. Sam. 10. 6. 9. Act. 2. 14. 1. Cor. 14. 18. Anabaptistarum error turpis.

6. *Qui quum illic etc.*] Bellum enim rusticanum plus minus centum millium rusticorum cruore nobilitatum nefandos illorum conatus dissipabat, captis illorum ducibus, *Muntzero*, alijsque, posteaque capitali supplicio affectis. Huic accedebat alacritas ministrorum, quos Deus Ecclesiæ, ad fraudulentos & rapa- Rusticorum bellum cruentum valde.

ces

Euangelicorum ministrorum alacritas in oppugnandi, Anabaptistis.

ces hosce lupos abigendos, tùm fortè dederat, qui masculè fanaticis hisce Spiritibus restiterunt, accincti gladio verbi. In Saxoniâ *D. Lutherus*, *Philippus*, alij. In Helvetiâ apud Tigurinos, *Zuinglius* cum collegis; apud Basilienses *Oecolampadius*: Idem à Bernensibus, Argentoratensibus, alijsque Dei viris factum est. Quare errones hi ducem suum sequuti, qui

Luc. 11. 24. *quum à quopiam exierit, transit per loca arida, requiem quærens*, Luc. 11. 24. à Germanis superioribus devictis, ad Westphalicas oras ceteraſque Inferioris Germaniæ partes, accesserunt, ad venenata semina sua disseminanda. Qui copiosiorem harum rerum Historiam desiderat, legat *lib. X Histor. Ioh. Sleidani* & II. *libr. adversus Anabaptistas H. Bullingeri*, *Cap.* 8, *pag.* 52. *&c.*

CAP. III.

PRimum 1. *in hac urbe Euangelij sincerioris, ut ferebatur, prædicationem*, 2. *invito ejus loci Principe Episcopo*, 3. *Democratia tuebatur, seque adversus violentiam Principis, si forte illorum propositum impedire vellet, commeatu, machinis munitionibusque, etiam ad obsidionem tolerandam, præparavit. Fit enim ferè, ut conscientiæ vulgi Obversantibus opinionibus varijs, huc atque illuc impulsæ in dubium constituantur, & prorogatâ vel denegatâ à Principibus justâ reformatione, vulgus nullius*

lius rei bonæ author, ipſum, conſtituere ordinationes moliatur. Semper etiam cum 4. verbo Dei exoriente errores ſimul exortos reperimus: 5. ut nullis ætatibus defuerint Antichriſti, quos Apoſtoli & ipſe Chriſtus venturos prædixit. Meminiſti olim, 6. Hadriano imperante, 7. Cochebam Judæum prædicâſſe, ſe unum eſſe verum illud ſalutis ſidus cælitùs delapſum, cauſâ populo ſalutis reſtituendæ, & quanta illi turba adhæſerit. Et in Cretâ 8. tempore Theodoſij Judæum alium, 9. qui ſe Moſen eſſe, affirmabat, & ut quondam Iſraëlitas per mare rubrum duxiſſet; ita etiam pollicebatur ſe ſimili miraculo Judæos ex eâ Inſulâ per mare illæſos ad terram promiſſionis perducturum. Eſt 10. tempore Heraclij exortus in Arabiâ Mahumet, qui & ipſe populum pellexit vanâ ſuperſtitione. Ad eundem modum nunc ejuſdem Spiritus exorti 11. Anabaptiſtæ, miræ quâdam ſanctimoniæ ſpecie vulgò imponentes, ſollicitanteſque ut ſe, neſcio in quas, regiones ſequantur: & qui promiſſis eorum perſuaſi, hi velut enthuſiaſmo excitati ſequuntur eos, relictis & re familiari & neceſſarijs: quanquam initio populus ſic in univerſum fanatico quodam impetu rapiebatur, ut propemodum ſuum quiſque caput protegere coactus fuiſſet: ſimpliciter

inſaniæ

insanire homines dixisses. Et sic ut verum dicam, multi hac in urbe cives à circulatoribus quibusdam circumventi, non tam pietatem, quàm licentiam, & verbi dispensatores tyrannidem atque popularem favorem captare magis, quàm populi salutem, visi sunt. Initio tamen quædam in abolendis abusibus & impijs moribus, recipiendâque sincerâ doctrinâ, non omnino inepta proponere videbantur. 12. Et successisset féliciùs, ni malus ille saluti hominum invidens benè cæpta intervertisset; nimirum veritus, ne populus illic pro humanis somnijs, proque Ecclesiasticorum pompâ, luxu & crapulâ, sinceram Christi doctrinam, moresque magis sobrios sanæque doctrinæ consentaneos, amplecteretur.

Si quidem cogitavit hic sibi vigilandum, modisque omnibus enitendum, ut Scyllam vitantes impelleret in Charybdim. Et successit pulcrè. Nam dum omnes omnium propulsatarum factionum ad Monasterium, sub prætextu verbi, ceu commune Euangelicorum Asulon, confluentium profugi se recipiunt; Cacodæmon Euangelij tritico mox 13. Anabaptistarum, 14. Sacramentariorum, 15. Pseudoprophetarum, 16. Montanorum, 17. Valentinianorumque Zizania adspergit, quæ continuò (ut est malarum

larum herbarum mira fertilitas.) Euangelij ſemen protriverunt. 18. *Sub Papatu omnia tranquilla,* 19. *quemadmodum filijs Iſraël in Ægypto: verum ubi Ægypto egreſſi & filij Dei facti, cæpit illorum ſaluti inſidiari Satan, & cæperunt tumultuari, & ſeditiones movere: Ita nunc quoque videns, veram Juſtificationis doctrinam emergere, & Sacramentorum uſum genuinum oriri, ſectas & ſeditiones excitat. Populus autem, ut eſt rerum novandarum avidus Anabaptiſmi licentiam facilé excepit.*

Hypomnemata & Notæ.

1. IN *hac urbe Euanghelij ſinceriorís*] De quo ſic *Sleidanus lib.*10. *comment. rerum in orbe geſtar. pag.*267. & *Bullingerus lib.* 2. *adverſus Anabapt. c.* 8. *pag.* 53. 4. Eſt non procul ab urbe Monaſterio, *divi Mauritij* templum: in eo docebat euangelium anno ſalutis noſtræ 1532. *Bernardus Rotmannus*, frequenti civium auditorio: Item, mox quidam è civibus præſtantiores, in urbem hominem recipiunt: quumque à templis excluderetur, foris in porticu ſuggeſtum ei collocant: augeſcente vero indies numero civium & auditorum, poſtulatur à pontificijs, ut templum ei patefaciant: ſin minus, vi patefactum iri. Non multo poſt, ille de conſilio delectorum populi, miſſis literis in vicinam Heſſiam, Lantgraviæ ditionis, petit viros aliquot bonos atque doctos, ad ſe mitti,

Monaſterij Euangelium à Rotmanno docetur.

Haſſi miniſtros Euangelij eodem mittunt.

profectò diaboli artibus astutè fieri scire debemus, ut veritati semper errores connexi atque inserti, per similitudines facilè decipiant leviores: propterea non alia semina, sed zizania immixta dixit, quæ tritico simillima sunt. Sic quamprimùm Deus ad parentes nostros loquutus est in Paradiso; de Serpente quoque subjungitur: *& serpens dixit mulieri.* Genes. 3. 1. Sic Christo Apostolos suos emittente, Satan Pseudo-apostolos suos quoque emisit: & Simone Petro Euangelium annúnciante, Simon Magus quoque ad hæreses disseminandas excitatus est. Denique id ex statu primitivæ Ecclesiæ apparet: quo enim latius spargebatur verbum Dei, incorruptibile istud Ecclesiæ semen, & quo magis dilatabatur Ecclesia, eo plures hæreses emerserunt. Sic denique ad finem usque sęculi futurum est, ut ubicunque sincere verbum Dei docetur, illic insidiæ struantur doctrinæ à Satana, ad puritatem ejus collutulandam. *Impossibile enim est* (ait idem Chrysostomus) *bonum aliquid fieri, quin simul etiam pullulet malum. Itaque ne turbemur,* &c. *Si enim nullus esset deceptor veritatem invadens, non foret vehemens & fervidus veritatis amator.* Homil. 33. *in Act. Apostol. pag.* 175.

Genes. 3. 1.

Idem homil. 33. in Act. Apostol. pag. 175.

Antichristiani impostores nullis ætatibus defuerunt.

5. *Vt nullis ætatibus defuerint Antichristi.*] Teste *B. Petro* 2. *Epist.* 2. 1. & *Iohanne* 1. *Epist.* 11. 18. Eleganter vicissim Chrysostomus. *Ne doleamus quòd sectæ sint: Et pseudochristi etiam Christo insidiari voluerunt, ante hoc & post hoc, ut veritatem adumbrarent, sed illa magis fulget manifestaque est ubique.*

Hoc

Hoc & ſub Prophetis fuit, fuerut Pſeudoprophetæ, & ex comparatione illi magis claruerunt. Etenim morbus ſanitatem manifeſtam facit, & tenebræ lucem, & tempeſtas tranquillitatem. Non poſſunt dicere Græci, quòd Prophetæ & Apoſtoli impoſtores ac magi fuerint. Illi enim redarguti ſunt. Hoc & Moſi accidit. Permiſit Deus aliquid magis, ne magus putaretur eſſe Moſes. &c. *Nihil nobis nocent impoſtores, ſed meliores potius reddunt, ſi quis rectè conſideret.* Hæc ille: *homil. 46. in Act. Apoſt. pag. mihi 237.*

Nocere ijdem nobis non poſſunt. Chryſoſt. hom. 46. in Act. Apoſt. pag. 237.

6. *Hadriano imperante*] Fuit hic Ælius Hadrianus conſobrinæ Trajani filius, & Trajæni in imperio ſucceſſor; cujus imperij initium, juxta *Bellarminum in Chronologiâ* in annum Chriſti 120. incidit, juxta *Ab. Bucholtzerum* verò *in Indic. Chronol.* in annum 118. & imperavit annos 20. & menſes 11. Qui (ut refert *Bartol. Platinâ in vitâ Alexandri & Xiſti Rom. Epiſcoporum, pag. 16 & 17.*) imperium accipiens, primò quidem Chriſtianis adverſatus eſt, poſtea cognitâ eorum religione & pietate, in eos admodum beneficus fuit. De populo Romano bene-meritus Pater patriæ ſtatim appellatur: ejuſque uxor Auguſtæ nomen ſuſcepit. Vtrâque verò linguâ eruditiſſimus & leges multas compoſuit, bibliothecam inſignem Athenis retulit, Plutarchi Cheronæi, Xiſti, Agathoclis & Enomai Philoſophi doctrinâ ac familiaritate delectatus. Athenienſibus autem leges petentibus, ex Draconis & Solonis ſententiâ jura cõpoſuit, Idẽ Cocheba ducis Iudaicæ factionis atque Iudæorũ omnium pertinaciã ultimâ cæde perdomuit, præcepitque

Hadrianus Imperator.

Cocheba Iudaicæ factionis caput.

ne cui Iudæo facultas introeundi Hierosolymam daretur, Christianis tantum modo civitate permissâ, quam mœnibus & ædificijs instaurans, de suo nomine Æliam appellavit. Qui moriens hos versus fecisse dicitur:

Animula vagula, blandula
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula:
Nec ut soles, dabis jocos.

7. *Cochebam Iudæum*] Factum hoc anno Christi CXXXIV. hoc est, anno XVI. Hadriani Iudæis à Romanis palam deficientibus, & ad arma versis, sub Bar-Cochebâ factionis duce, viro (ut *Eusebius in histor. Eccl. lib. 4. c. 5.* ait,) crudeli & sceleſto, qui specioso titulo Iudæos fefellit, *Stellæ filium* se nominans, (id enim Hebræis *Bar-Cochab* est,) Interpretatus vero de se est illud *Num. 24. 17. Orietur stella ex Iacob. Ex vocabulo suo* (inquit Eusebius,) *Iudæis velut vilibus mancipijs persuadebat, se ob salutem eorum sidus magnum cælitus esse delapsum, ægris mortalibus longâ obscuritate damnatis ferre lucis auxilium.* Hæc ille. Qui dum hoc fuco multa Iudæorum millia in nassam suam traxisset, biennio post à Tynio Rufo Palæstinæ Præside superatus, & unà cum gregalibus suis, id est, Iudæis, deletus est. Vnde pro *Bar-Cochebâ*, filio stellæ, *Ben-Cozba*, id est, filius mēdacij jure dici potuit.

Num. 24. 17.

Tynius Rufus Præsis Palestinæ.

8. *Tempore Theodosij*] Fuit hic *Theodosius* Magnus Augustus declaratus & Orienti præfectus,

circa

circa annum domini 379. Imperavit annos XVI. Imperator optimus, bello & pace præſtantiſſimus, Eccleſiæ inſtaurandæ & Reip. reparandæ natus, orthodexæ doctrinæ amantiſſimus, atque ſummis quoque Principibus comparandus, ut ſcribit *A. Bucholtzerus in Indice Chronol. pag.* mihi 212. Hic Theodoſius, teſte *Auguſtino*, dicere ſolitus eſt, magis ſe gaudere, quòd membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quàm quòd in terris regnaret. Theodoſij Imperatoris pij laus. Ejus Gnome.

9. *In Cretâ Iudæum ſe Moſen eſſe.*] Vide *Nicephorum lib.* 14. *cap.* 4. & *Hiſtor. Tripart. lib.* 12. *c.* 9. De hoc nebulone porrò traditur, quòd poſtquam plurimos præſtigijs ſuis circumveniſſet, ut relictis omnibus eum ſequerentur, eos in æditam petram mari impendentem duxerit, utque ſe in mare dejicerent, monuerit, fingens nimirùm fore, ut ſicco pede per id tranſituri eſſent. Quo ſuaſu ſuo multos miſerè ille perdidit; quum partim in petrâ colliderentur, partim aquis ſuffocarentur, quotquot ſeſe dimiſiſſent. Quum verò ſuperſtites ſe miſerè deceptos animadverterent, & fictitium hunc Moſen prehenſuri eſſent, ipſe evanuit, ut verè hinc ſuſpicari licuerit, Satanam humanâ larvâ indutum ſeductorem hunc fuiſſe. *Ille* enim, ut Chriſtus ait, *fuit homicida à principio & in veritate non perſtitit: non, enim eſt veritas in eo. Ioh.* 8. 44. Moſes Gretenſis. Iohan. 8. 44.

10. *Tempore Heraclij exortus in Arabiâ Mahumet.*] *Heraclius* ſucceſſor Phocæ ad imperium devenit anno poſt Chriſtum natum DCXI, imperavit verò annos XXX, & decem menſes, ex Heraclius Imperator

ses, ex devictis Persis clarus, bonarum literarum & astrologiæ cultor eximius. Cujus Imperij anno undecimo (sivè ut *Platina* supputat, duodecimo) *Mahometes Arabs*, vel, ut alij volunt, *Persa*, nobili genere natus, patre, qui Deos gentium coleret, matre Hebraicâ Ismaëlitici generis, vir adeo versutus & acris ingenij, ut quum inter Christianos diu versatus esset, omnesque omnium, qui antè fuere sectas cognovisset, novam quandam superstitionẽ introduxit, quâ (ut idem *Platina in vitâ Bonifacij V. pag.* 89. ait) propé nostra religio exstincta est. Impostor vero hic blasphemus ad somnia & blasphemas superstitiones fingẽdas quasi natus videbatur, fingens modo enthusiasmos, modo colloquium cum Spiritu Sancto & Gabriele Archangalo, &c. Qui à Persis adjutus adversus Heraclium, Orientalibus Imperij provincijs occupatis, regnoque sibi stabilito, per *Sergium*, quændam Monachum Nestorianum, *Alcoranum*, ex Iudaismo, Christianismo & Paganismo conflavit, quo ex omnibus religionibus, quæ politiæ constituendæ, populisque carnalibus alliciendis accommoda videbantur, in unum volumen congesto, novam religionis formam cum novo regno orbi invexit, magno religionis Christianæ detrimento. Nam tota Asia & Africa, magnaque pars Europæ Mahumetanis Principibus subjecta est. Instant nunc Turci terrâ ac mari, ut nos tanquam cuniculos ex his Europæ latebris eruãt. De quo sic porro *Platina in vitâ Honorij pag.* 90. refert: Qui Mahometes quum magnũ se Dei Prophetam assereret, magicis artibus Asianos & Africanos

Mahometes Arabs seu Persa novæ sectæ repertor.

Sergius Monachus Alcorani conflator.

Turci.

canos deludens, ita populos quoſdam concitavit novâ à ſe religione imbutos, ut paulum abfuerit, quin omnino nomen imperij delerent, captâ Alexandriâ multiſque alijs Syriæ & Ciciliæ urbibus. Sarracenos ſectatores ſuos habuit, à Sarâ Abrahæ legitimâ uxore ita appellatos, quaſi legitimos divinæ profeſſionis ſucceſſores & hæredes. Sequutus eſt homo callidiſſimi ingenij hac in re Ieroboami exẽplum, qui tribui ſuæ alios colendi ritus conſcripſit, ne unquam Iudęorum imperio ſubeſſent, 1. Reg. 12, 28. Hæc Platina.

Sarracenī unde dicti.

1. Reg. 12. 28.

11. *Anabaptiſt. mirâ quadam Sanctimoniæ ſpecie*] Initio enim (ut *Bul.* refert *lib. 2, adverſus Anab. cap. 8, pag.* mihi 52.) humiles & demiſſi erãt, nihil ſplendoris & magnificẽtiæ habẽtes. Nam clamabãt & invehebantur in omnẽ excellentiã, factum & magnificentiã, item adverſus gladium & poteſtatẽ magiſtratuũ. Opes & honores erãt illis (ita ſimulabãt) nauſea. Nihil loquebãtur quã de mortificatione veteris hominis, de renovatione ſpiritus, de ſeparata & Deo commiſſa ac dicata vita: ſed revera ſpecioſo illo titulo renovationis ſpiritus nihil aliud quæſiverunt, quam novum aliquod & magnificũ imperium, in quo ſua voluntate & arbitrio dominarẽtur. Itaque primi hujus factionis ſcil. *Rotmănus, Ioh. Becoldus Eltidenſis, Bern. Cnipperdolingus, Gerhardus Cippenbrochus & Bern. Crechtingus, etc.* occultè literas in vicina oppida & pagos, *Coeſveldiã, Dulmenam, Hammonã, Suſatum, Warendorpium & Oſnabrugam*, nec non *Weſaliam Clivorum, &c.* ad ſui generis homines mittunt, uti fortunis ſuis omnibus relictis, uxoribus & liberis, quã primũ Monaſt. veniant:

Anabaptiſtarum hypocriſis.

Anabaptiſtarum Monaſterienſium Principes eorumque factioſi Conatus.

veniant: quicquid reliquissent, fore ut cum usurâ decupli recipiant. His excitati, magno numero Monasterium confluunt, in quo mulieres erant, quæ maritos, & vicissim mariti, qui uxores suas deseruerant. Et sic urbs ista paulatim colluvie illâ Anabaptistarum repleta fuit. Euangelicis verò ac Pontificijs ex urbe discedentibus, Anabaptistæ eam sibi vendicarunt, ædes pulcerrimas Canonicorum, Patriciorum & Senatorum aliorumque homines profligati & perditi sibi usurpârunt, funestum aliquid haud dubiè in totius orbis perniciem meditaturi, nisi Deus illorum cruenta consilia antevertisset. Accidit id mense Februario anni MDXXXIV.

Anabaptistæ Monasterium undique confluunt.

Euangelici & Pontificij eo discedunt.

12. *Et succesisset fælicius, ni malus*] Sic *Eusebius in histor. Eccl. lib. 4. c. 6.* Conqueritur, quod tempore Imperatoris Hadriani, quum jam refulgentibus in modum clarissimorum siderum Ecclesijs, ubique terrarum vigente etiam per omne genus hominum fide, qua cuncti pariter in Salvatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum integrè & constanter crediderant: ille totius bonitatis æmulus dæmon, utpote veritatis inimicus & salutis humanæ hostis perpetuus, omnia molimina contra Deum Ecclesiamque versans; qui priùs exteriùs eam persequutionibus hostilibus oppugnaverat, nunc malignis quibusdam viris & deceptoribus repertis, intestino illam bello quatere nititur, &c. Sic quoque idem Satan quod alijs in locis ad impediendum aut intervertendum Euangelium fecerat, ut factiosos Anabaptistas excitaret, id Monasterij quoque fecit, magno

atan Ecclesiæ perpetuus hostis.

piorum

piorũ damno & non abſque infamiâ Euangelij.

13. *Anabaptiſtarum Zizania*] Sparſit ea ibidem Satan uſus ad id miniſterio *Henrici Rollij*, quem Tractenſes ob Anabaptiſmum ſupplicio affecerunt. Is diſcipulum poſt ſe reliquit *Hermannam Stapſedam Moerſenſem*, qui *Rotmanni* (cujus nuper memini) collega factus, ipſum ſeduxit, & Anabaptiſmo infecit: qui in publicis concionibus Pędobaptiſmum impugnabat, Deo abominationi illum eſſe, impudenti ore aſſerens. Cujus blaſphemijs applauſit tum quoque *Iohannes Becoldus* Sartorum Leidenſium ulcus, homo acumine ingenij, eloquentiâ ac vafritie ſingularis, ad contentiones excitandas quaſi natus. Is Anabaptiſmi prurigine agitatus, initiò doctoribus Euangelij ſeſe inſinuabat, ſubdolè ex eis quærens, an parvulorum Baptiſmus ex Deo eſſet? Atque hæc fermé novem menſibus egit, ſæpé cum concionatoribus diſputando & altercando: Interim tamen clam, ubicunque poterat, Anabaptiſmi doctrinam diſſeminabat, cætus ſuos non niſi nocte convocans, ad peſtiferam iſtam luem ipſis affricandam. Vide *Sleidan, lib.* 10. *pag.* 269. & *Bullinger, lib.* 2. *contra Anab, cap.* 8. *pag.* 53. 54.

Henr. Rollius Anabaptiſmum Monaſterij primus docuit.

Herm. Stapſeda Moerſenſis.

B. Rotmanus.

Ioh. Becoldo Leidenſis.

14. *Sacramentariorum*] Sicut *Teſtamentarius* eſt Iuriſconſultis, qui vitiat aut ſubjicit Teſtamentum: Ita *Sacramẽtarius* eſt, qui depravat ſeu adulterat Sacramentum. Quo nomine *D. Lutherus* primò notavit, quotquot cum eo in doctrinâ de corporali præſentiâ carnis & ſanguinis Chriſti in Cænâ, & Orali manducatione ejuſdẽ, non ſacerẽt: non ſolùm *Carolſtadium & quos cæleſtes Prophetas*

Teſtamentarius Sacramentarius quid ſit.

est: ut prolixè hoc ejus factum Sleidanus lib. 10. pag. mihi 271. 272. recitat.

Montani seu Cataphrygæ hæretici.

16. *Montanorum*] Hi aliâs *Cataphrygæ* dicti à Montano, Phryge hæretico, de quo *Apollonius* apud *Eusebium lib. 5. c. 10.* ait: *Hic est, qui docuit nuptias solvi, & qui jejuniorum leges primus imposuit.* Nimirum abhorruit ab esu carnium & conjugio, tanquam rem profanam cum Manichæis utrumque damnans: nihilominus impurus nebulo duo scorta *Maximillam* & *Priscillam* aluit, seipsum Spiritum S. esse mentiens, teste eodem *Eusebio lib. 5. c. 13.* Vide *Serm. LXVI. Bernardi in Cant. Cantic. fol. 1039. & seqq.* contra hoc institutum, ubi doctè non minus quàm piè eos refutat. Floruit vero hæc secta circa annum Domini CLXXX. sub Imperatoribus M. Antonio Philosopho, L. Aurelio Vero, & Commodo.

Bernardus Serm. 66. in Cantic. fol. 1039.

Valentiniani hæretici.

17. *Valentinianorum*] Hi quidem Valentini cujusdam Platonici sectatores, (teste *Platinâ in vitâ Telesphori Rom. Episcopi, pag. 19.*) dicebant, Christum de corpore Virginis nil sumsisse, sed per eam tanquam per fistulam quandam purum transiisse. Alias quoque complures id genus hæreses blasphemi asserebant. Quorum lues sub eodem Antonino Imperat. invaluit. Vide *Augustin. in lib. de hæresibus.*

18. *Sub Papatu omnia tranquilla*] Neque id mirum: quia *quamdiu fortis ille armatus atrium suum custodiebat, in pace erant ea, quæ habebat.* *Luc. 11. 21.*

Luc. 11. 21.

19. *Quemadmodum filijs Israël in Ægypto*] Scil. omnia pacata atque tranquilla erant: quia nullum

nullum Schiſma. nullaque ſimultas inter eos coorta fuit, quamdiu allijs Ægyptiacis unà veſcerentur: ſed Ægypto egreſſis modò Nadab & Abihu alienum ignem coram Domino incendunt, *Levit.* 11. 1. modò Korab, Dathan & Abiram, cum One filio Pelethi, contra Moſen inſurgunt, tumultuantes. *Num.* 16. 1. 2. modò denique univerſus populus Idololatriæ crimine ſeſe polluit. *Exod.* 32. 1. *& ſeqq.*

Levit. 11. 1.

Num. 16. 1. 2.

Exod. 32. 1

CAP. IV.

ERatque primum 1. *acris inter Euangelicos & Anabaptiſtas conflictatio, adeo ut* Put tou ſchiſmatos *Epiſcopo potiundæ urbis ſpem injiceret. Jamque noctis conticinio, oppidanorum alterius partis auxilio, portam unam occupaverant Epiſcopi intra deſtinati milites: ſed harum rerum conſcij, mox pœnitudine ducti, aut ſibi fortè metuentes, conſilium manifeſtant: atque in hoc conſentiunt Euangelici cum Anabapt., ut Epiſcopi cohortes unanimiter repellant. Non deerant, qui affirmârent, Epiſcopalis cohortis præfectum Euangelico zelo permotum, ultrò retrocеſſiſſe. Certum eſt, eundem ab Epiſcopo inclementer exceptum. Enimvero hoc impetu repreſſo, res aperto mærte tandẽ geri cœpta. Siquidẽ* 2 *Epiſcopus contractis copijs à vicinis Principibus, qui ſuos quoque caſtigatos Monaſt. exemplo deterrere cupiebant, urbẽ*

obsidere parat. Sed 3. Anabaptistarum factio invalescens, majorque, pars vulgi licentia novandarumque rerum avida, meliorem non gravatim superavit, maximè quũ Anarchiã bonorum constanter ab Anabaptistis praedicari intelligeret: factumque, ut multi verè euangelicæ pietati addicti urbe excederent: inter 4. quos & Buschius fuit, qui jam inde ab initio Anabaptisticæ doctrinæ audacissimè restitit. Id quod Corvinus etiam, à Principe Hessorum missus, tentavit. Sed uterque, quum argumentis nequidquam se agere sentirent, furibundæ turbæ cesserunt, Buschius paulò post in vicinâ urbe Dulmensi fatis concessit, vir certè meliorum literarũ & sincerioris doctrinæ acerrimus idemque liberrimus vindex. Sed quid multa? quotquot ab Anabapt. stare recusarent, statim 5. urbe exiguntur, nec tamen quidquam expôrtare permittuntur. Major civium pars proscripta, urbem ac penates 6. proselytis novisque colonis, ac indigenis retinctis relinquere coacta est. Illiverò in novas possessiones missi, donum scil. accipiunt Spiritus Sãcti, nẽpe proscriptorum civium bona. Atque hac sub initio quadragesimæ, anni tricesimi quarti supra sesquimillesimum gesta sunt. Porro ubi facultatibus, simul cũ urbe instructissimâ, potiuntur retincti, omnia in unum conferunt, &

Hermãnus Buschius. Antonius Corvinus.

1534

7. per

7. per quatuor urbis regiones, culinas publicè inſtituunt veluti Suſſitia *& cœnobia, Patriſque tutelam jactantes, hoſtes provocant, & turres ſanorum ſublimes atque ſumtuoſas deiiciunt, tẽpla, ceu idololatriæ receptacula, demolita in profanos convertunt uſus. Nam monaſteria & collegia jampridẽ depopulata ſunt, profugatis religioſis univerſis. Barbaricum autẽ eſt hoc, quod, præter publica documenta, inſtrumentaque literarum quæ exuſſerunt, 9. Bibliothecam ibidẽ* apud Fratres, *ut vocant, ex omni linguarum literarumque genere inſtructiſſimam Sacrilegi concremaverunt, tot egregia monumenta igni perdẽtes.*

Hypomnemata & Notæ.

1. INter *Euãgelicos & Anabaptiſtas conflictatio* Anabaptiſtæ ſiquidem totâ urbe è latebris, in quibus delituerant hactenus, audaciores facti exierunt, & facto ad forum concurſu, curiam & armamentarium publicum invaſerunt, ferali voce clamantes: *Penitentiam agite & rebaptizamini: ſin minus, ira Dei vos obruet.* Deinde viciſſim ad forum facto concurſu clamorem tollebant, jubentes omnes non rebaptizatos interfici, tanquam paganos & impios. In quâ ſeditione adoleſcentem quendam *Steinfurtenſem* tormento bellico interficiunt, in campo urbis, qui ab horreis nomẽ habet, Quæ res Pontificios & Euãgelicos cõmovit, ut ipſi quoque cõcurrerẽt & locũ, quo ſe defenderent, occuparẽt. Sic itaque per

Conflictatio inter Euangelicos & Anabaptiſtas Monaſterienſes.

Pontificij & Euangelici Mona-

 des

Reliqui coëunt adversus Anabaptistas.

dies aliquot veluti in castris oppositis, à partibus commoratum fuit, usque dum compositio inter eas fieret, ac pax quædam constitueretur. Quam tamen factiosi isti, præ zelo seu furore suo Anabaptistico, mox interruperunt, Euangelicos pariter & Pontificios urbe expellentes. De quo pluribus vide *Sleidan. lib.* 10. *pag.* 271. *& Bullinger. lib.* 2. *contra Anabapt. cap.* 8. *pag.* 54. *a. b. & c.*

Vtrique urbe expelluntur.

2. *Episcopus contractis copijs à vicinis PP.*] De quo sic *Sleidanus ibid. pag.* 272. *&* 276. porro refert: quum jam Episcopus aliquod mensibus omnem belli sumtum solus feciſſet: *Colonienſis Archiepiſcopus Hermannus*, & *Clivenſis Princeps Iohannes* auxilio miserunt pecuniam, tormenta, peditum & equitum cohortes aliquot. Episcopus insuper ab ijs principibus atque civitatibus, quæ sunt Rhenanæ provinciæ, tanquam à vicinioribus, auxilia petijt. Ejus rei gratiâ *Conventus* indicitur *Confluentiæ* ad 13. Decembris diem 1534. In quo re deliberatâ decernuntur Episcopo auxilia subitaria equites 300. peditum millia tria, in sex menses: his copijs totique bello præficitur *Wirichus Comes Oberſtenius*. &c.

Hermanus Archiepiscopus Colonienſis & Iohannes Princeps Clivenſis.

Convêtus Confluentinus VViricus Oberstenius.

3. *Sed Anabaptiſtarum factio invaleſcens*] Ita quidem, ut veterem Senatum hi abrogarent, novumque eligerent, factionis suæ omnes: inter quos consules erant *B. Cnipperdolingius*, & *Gerhardus Cippenbrochius*. Vide *Bullinger. lib.* 2. *adverſus Anab. cap.* 8. *pag.* 54. *b.* & *Guidon. de Brès. lib.* 1. *contra Anabapt. cap.* 2. *& Sleid. lib.* 10. *pag.* 271.

Senates Monasterienſis vetus abrogatur.

4. *Inter quos & Buſchius*] *Hermannus Buſchius Dul-*

Dulmenſis Profeſſor olim Eloquentiæ & Poëtices in Academiâ Marpurgenſi; vir certe de re literariâ & religione præclarè meritus, cujus etiam *Sleidanus ibid. pag.* 269. meminit: de quo etiam ſic *Rodolphus Goclenius ſenior, in veſtibulo Problem. Grammaticor.*

Virgenere & Muſâ nobiliſ ille fuit.

5. *Vrbe exiguntur*] Anabaptiſtæ enim horribiliter per vicos & compita urbis clamabant: *Migrate hinc è veſtigio impij niſi vitæ diſcrimen ſubire vobis propoſitum eſt.* Quo clamore peracto, armatâ manu mox eos, qui non eſſent ipſorum ſectæ, domo, bonis omnibus & urbe, ſummâ crudelitate ejiciebant, & ejectorum bona occupabant. Clamor Anabaptiſtarum ſeditioſus.

6. *Proſelytis*] Hoc eſt, Adventilijs ſeu advenis, quos undique ad hanc novam Hieroſolymam Monaſterienſem conſcripſerant. Quo nomine olim notabant eos, qui, abnegato & poſito paganiſmo, Judaicam religionem recipiebant, ut videre eſt *Matth.* 23. 15. & *Act.* 2. 11. Quia etiam Anabaptiſtæ quotquot à partibus eorum non ſtabant, pro paganis habuére, rectè *Proſelyti* dici ille potuerunt, qui ab ijs Anabaptiſmo initiati ſunt. Proſelijti qui dicti. Matth. 23. 15. Act. 2. 11.

7. *Per IV. urbis regiones culinas inſtituunt.*] *Hujus facti ſolus Hereſbachius meus meminit.* Culinæ Anabaptiſtarum Monaſterij

8. *Turres fanorum dejiciunt.*] Ita hoc de facto *Bullingerus ibid.* ſcribit: Anabaptiſtæ poteſtatem jam adepti, ædem divi Mauritij invadunt, diripiunt, & cum vicinis omnibus ædificijs incendunt: Deinde templa omnia & cœnobia vi diripiunt, & quicquid in illis auri, Turres templorium dejecter.

argenti, aut pretiosæ materiæ & artis erat, deprædantur. Idem refert *Sleidanus lib.* 10. *pag.* 271.

Bibliotheca ibidem ab Anabaptistis combusta.

9. *Bibliothecam exusserunt.*] Haud dubio eo Spiritu moti, quo aliquot ante annos nonnemo Marpurgi in Hassiâ motus Bibliothecam quam mediocriter instructam habebat, in fructa conscissam, è fenestris ejiciebat, Qui dum ad causam facti sui reddendam à superioribus vocaretur, subuculâ tantùm indutus, in publicum prodijt, *morionem veritatis* se vocans, causamque delirij sui hancce reddidit, Decalogum scil. vetare Idola adorari, coramque illis se incurvare: per idola verò istic quoque significari libros tum gentiles, tum Christianos, ipsosque sacrarum literarum Interpretes. Ne igitur inposterùm hoc Dei mandatum transgrederetur, se hoc genus irritamenti malorum è medio tollere voluisse. Ita etiam hujus antecessores Enthusiastici Anabaptistæ à doctorum tum Gentilium, tum Christianorum libris, ceu idolis, sibi metuerunt, quare igni eos tradiderunt: nisi forsan furori suo prætexere voluere factum Ephesiorum, qui ad Christum conversi, dum priùs frivolis & manimibus studijs dediti fuerant, comportatos libros, quorum prætium quinquaginta mille denarijs supputabatur, coram, omnibus combusserunt, ut refert Lucas *Actor.* 19. 18. Sed quum libros istos *Περὶεργα* continuisse non probaverint, æquè inexcusabila facinus eorum est, quàm Iehojachimi regis Iudæ, qui præter jus & fas, Ieremiæ veras & pias orationes conscidit & igni tradidit.

Hassi cujusdem Enthusiaste factum. Exod. 20. 4

Ephesij ad Christum conversi quos libros combusserunt.

Act. 19. 18.

Iehojachimus Rex

tradidit. *Ierem.* 36. 23. Porrò librorum iſtorum conflagratio Anabaptiſtarum facta fuit ex mandato *Iohannes Matthiæ* Pſeudoprophetæ, cujus antè quoque mentionem feci. Is ſiquidem, *Sleidano* teſtante, mandârat, ne quis ullum deinceps librum haberet aut ſibi ſervaret, præter S. Biblia, reliquos omnes in publicum deferri jubens & aboleri. Quod ſibi divinitus mandatum improbus Impoſtor mentiebatur.

orationes Ieremiæ conſcidit & igne conſumſit. Ierem. 36. 23.

CAP. V.

QVibus facinoribus deſignatis novus in hac 1. *novâ Hieroſolymorum Rep. creatur magiſtratus, nova plebiſcita, nova religio,* 2. *nova matrimonia, nova prorſus Reip. facies, ac denique* Panta kaina, *Fabulæ præcipui Daduchi fuerunt* 3. Bernardus Rotman, *homo & linguâ promtus, & eruditione linguarumque cognitione mediocriter inſtructus. Cui ſubſerviebat, veluti Æneæ Achates,* Knipperdolingus, *civis. Is ultro, ob contentiones cum Epiſcopo in factionem illâ ſe transferens, ad Conſulatum pervenit, homo ut fortè magnus dignitate, ita neque, infacundus, & ad quævis obeunda audax.* 4. *Tertius, qui etſi extrancus, tamen barbaricâ calliditate ad primatum ſicut & tyrannidem pervenit, patriâ* Leidenſis, *primò Propheticum Spiritum jactans, ac*

vocationes â Spiritu factas, juvenis vix viginti sex annorum, vafri ingenij, oris & Spiritûs gratia plurimùm confidens, & ad res novas ingenio apposito, cæterùm indoctus sarcinator, seu vestiarij artificij ferebatur, (Alexandrum illum Pseudomantin dixeris.) doctrinâ Lucianus: qui calliditate ingenij hos omnes superavit, sibique parere coëgit, adscitis tamen his authoritate proximis, quos vidit proposito exsequendo magis idoneos. Nam quum ad tyrannidem adspiraret, viamque quæreret, videns varias & distinctas de religionis doctrinâ opiniones, populumque fluctuare; cogitavit is sibi ansam porrectam, quâ populum sibi devinciret, capitque non solum de civilibus rebus leges condere, verum etiam novam religionis formam excogitare, quibus animos vulgi alligaret, quò arctiùs omnes in officio contineret, neque exoriri posset dissensionis occasio. Et ut Mahomet vulgo blandiens scripturam carni accommodabat: ita hi quoque 5. prophanatis matrimonijs, magistratibus ad democratiam & vulgi licentiam deductis, servis in libertatem vocatis, aliisque (quæ jamjam ordine interponam) populũ consẽtientẽ reddiderunt & suis dogmatibus subegerunt. Magistratus igitur creati duodecimviri: qui plausibiles populo factionis admi-

adminiſtratores erant; ſed qui Prophetæ ac concionatoris cujuſdam actu, ceu bubuli naribus ducebantur. Hi verò Prophetæ oracula, id eſt, Anabaptiſmi dogmata, veluti Leges XII. Tabularum promulgabant, quanquam non ſcripta, neque pupicata, ſed ut Druides apud Gallos olim, & Ægyptij, ac priſci Theologi voce duntaxat tradita.

Hypomnemata & breves Notæ.

1. *Novâ Hieroſolymorum Republ.*] Tali elogio urbem Monasterienſem, ſpeluncam ſuam, hi latrones ac fures nefarij condecorarunt, quòd ſcil. eſſet *nova Hieroſolyma* illa, de quâ B. Iohannes meminit, *Apocal.* 21. 10. Item, *novum templum & ſolium Davidis*, de quo Angelus, *Luc.* 1. 32. quod à Chriſto quidem occupari cæptum ſit, ſed tum revera & infallibiliter à Iohanne Leidenſi Iuſto illo ſit occupatum. Quæ verba exſtant in Statutis regijs, quæ ſub calce ſubjiciam. Monasterium Hieroſolyma nova Anabaptiſtis. Apoc. 21. 10. Luc. 1. 32.

2. *Nova matrimonia*] Iuxta legem & exemplum Regis Monasterienſis Hieroſolymæ, ut ſuo loco conſtabit.

3. *Bernardus Rotman.*] De hoc vide, quæ nuper Cap. 3. n. 1. 11. 15. notavi.

4 *Tertius patriâ Leidenſis*] *Iohannes Becoldus Sartor Batavus*; qui ultra forticem & acum ſuam ſaltans, tandem Rex nebulonum iſtorum ſalutatus fuit.

5. *Hi quoque profanatis matrimonijs.*] Inductâ ſcil.

Matrimonia ab Anabaptistis profanata.

scil. polygamiâ, frequentibusque divortijs inde manantibus. Tale siquidem emblema vermiculatum Anabaptistarum Monasterienſium erat: *Christianum virum non esse devinctum uni conjugi, sed licere multas simul in matrimonium ducere.* Cui quum quidam honesti & cordati viri ex civibus contradicerent, mox crudeliter ad arborem religati, sclopetis & bombardis trajecti sunt, numero quadraginta novem, referenta *Bulling. lib. 2. adversus Anab. cap 9. pag. 56.* & *Guid. de Bres contra eosdem lib. 1. cap. 3.* Verùm de his paulò pòst plura occurrent.

Cives quidam sclopetis & bombardis ab ijsdem trajecti.

CAP. VI.

POst tamen idem Propheta, Rex factus, dogmata atque leges regni sui per universam urbem sparsit, inque capita quædam præcipua, ut è vernaculo sermone à nobis Latinitati donata sunt, subjiciemus.

Primum autem omnium ab Anabaptismi Candidatis exigitur.

1. *Ut* 1. *statuta illa omnia quæ vulgus cultum appellat divinum, cæremonias,* 2. *Chrismata & characteres exsecrentur atque abjurent.*

2. *Missam* 3. *unà cum* Baal *illo, qui Sacrificii manibus ostentatur, abominentur.*

3. *Toti* 4. *mundo renuntient.*

4. *Reditus* 5. *annuos neque solvant, neque exigant.*

5. *Negocia-*

5. *Negociationes* 6. *& commercia non exerceant.*

6. *Facultates* 7. *nemo proprias habeat, quin ad pedes myſtagogi ac Prophetæ,* 8. *veterum ſcil. Chriſtianorum aut* 9. *Platonicæ Reipublicæ exemplo, ea conferantur.*

7. *Magiſtratibus* 10. *ac Principibus (quibus ſolis Reipublicæ tranquillitas, ut ſuo in officio quiſque contineatur, curæ eſt,) nullus ſubjiciatur.* 11. *Siquidem renatos jam non carne amplius, ſed Spiritu duci, qui ſub nullius poteſtate redigantur. Quaſi Chriſtus & Apoſtoli non ita ſpirituales fuiſſent, qui magiſtratibus tamen & parebant ipſi, & parendum alios docuerunt.* 12. *Perfectionis forté gradus non præcepti, perinde atque de Virginitate.*

8. *Matrimonia* 13. *retinctis renoventur, videlicet* 1. *quibus cum Ethnicis (hoc eſt, Baptiſmum itcrare recuſantibus) conjugium, niſi de integro baptizentur, id non conſtabit.* 2. *Quod ſi uxor contingat ſterilis, licet aliam ſuperinducere: cui ſi facunda ſit, prior miniſtrare cogatur, atque hac prægnante rurſus aliam, ad ſeptenas uſque, juxta illud:* 14. Creſcite & multiplicamini. *Vel ſi lubet id Eſaiæ:* Et 15. apprehendent ſeptem mulieres virum unum.

9. Bap-

9. Baptismum 16. infantium inde ab Apostolorum temporibus durantem, â Cacodæmone invectum, abolendum statuant, Nam fidem requiri ante Baptismum. Sed si fides ubique nostra spectanda, & non potius mandatum Dei, obsecro, quotusquisque tandem baptizandus erit? Non 17. defuerunt, qui baptizare igni occiperent, idque hunc in modum fiebat: In Circulo quopiam undique cereos affigebant ardentes, eoque baptizandum cingebant.

His bellis dogmatibus non contenti, etiam sacrilegos Marcionis, Valentiniani atque Apollinaris errores jam olim damnatos in usum revocant, asserentes, 18. Christum carnem à matre non assumsisse; pro nihilo ducentes aut dissimulantes, quod 19. Scriptura e semine David benedictionem promiserit, & è semine mulieris ab ipso Ada lapsu. Et quod Paulus Rom. 1. Tou genomenou ek spermatos dabid kata sarka, expresse dicit. Quod Irenæus lib. 3. c. 32. Sic exponit, ut omnibus modis è virginis substantiâ carnem sumsisse Dominum contendat, idque velut receptum ab Ecclesiâ orthodoxâ tueatur, hæreticos perstringens. qui Christum nihil ex Virgine matre assumsisse, nugarentur. Quum idem Tertullianus sanctus Scriptor (lib. de carne Christi) confirmet,

firmet 20. *quod Apoſtolus tradit, juxta carnis naturam, Chriſtum è ſtirpe & Semine patrum eſſe prognatum. Quod dogma quo à Patribus magis damnatur, hóc illi pertinaciùs retinent, adeò ut hoc pro aris atque focis defendant, mordicuſque teneant.*

Poſtremò 21. *ut omnem fiduciam ſalutis poſt Baptiſmum lapſis tollant, veniæ amplius locum eſſe negant, Novatiani fortè imitatione. Et quia hæreſis nulla tam abſurda, quin Scripturis fucari poſſit,* 22. *locos hùc è Paulo ad Hebræos cap.* 6. *&* 10. *detorquent: qui tamen ab Orthodoxis ad peccatũ in Spiritũ Sanctũ & peccatũ diffidẽtiæ referuntur.*

Atque ut finem aliquando faciam referendæ Iliados pernitioſorum dogmatum aut hydræ multorum capitum, hoc adjiciendum fuit. 23. *Servos nonniſi Retinctis ſervire ſervitutem volunt: atque hac lege decretis ſecundum libertatem vindicijs, ingentem ſervorum hominum turbam, quibus quum noſtra regio abundet &* 24. *à nobilibus paſſim truculentius habiti ſint, facilè pelliciunt plagiarij.*

Hypomnemata & Notæ.

1 *Statuta omnia exſecrentur.*] Quum conſtet, humanarum traditionum, tyrannidẽ *Kakozælia* ſuperſtitioſonum hominum initio in Eccleſiam introductam, quæ tantam ritu-

Traditionum humanarum tyranni

tuum

tuum & obſervationem congeriem poſtea peperit, quibus Dei cultus non uno modo contaminatus, pluribuſque & magis inſulſis ſuperſtitionibus conſpurcatus eſt, quàm ulla unquam paganitas: factum eſt, oriente claro prædicationis Euangelij jubare, dum imperiti humanis traditionibus impiè ligari hominum conſcientias, & fruſtra Deum ijs coli, audiverunt, eâdem ritu â leges omnes inducendas putaverint, quibus Eccleſiæ ordo conſtituitur. Verùm quum Apoſtolus jubeat, *ut* in Eccleſiâ *decenter omnia & ſecundum ordinem fiant*, 1. Cor. 14. 40. tenendum, nequaquam omnes hominum traditiones Eccleſiæque obſervationes rejiciendas: ſed quoniam illæ inter ſe differunt, adhibendam eſſe aliquam diſtinctionem. Quarundam enim manifeſta eſt impietas, quia perverſos cultus & ex diametro cum verbo Dei pugnantes inſtituunt, ut Circumgeſtatio panis in pompâ Perſicâ, Adorati, Mariæ, Petri, reliquiarum &c. Aliæ quum profanis ineptijs involvant Dei cultum, vitient ejus puritatem, quales ſunt in Monachatu de cibis & veſtitu vario, quibus ſe putant colere Deum. Aliæ, quæ nec vitio aliquo notabili infectæ ſunt, nec cum præceptis Dei pugnant, hoc tamen nomine damnantur, quòd neceſſariæ finguntur ad Dei cultum, ut leges de jejunijs, cælibatu &c. Verùm ſunt & aliæ, quæ non ſolùm contra præcepta Dei non pugnant, ſed utiles quoque ſunt, quò in ſacro fidelium cœtu decenter peraganter omnia, & quâ convenit dignitate,

An univerſę ex Eccleſiâ exterminandę. 1. Cor. 14. 40.

Traditionum diſtinctio.

tate, quibus videl. ceu adminiculis ad pietatem excitemur, quantaque modeſtia, religione & obſervantia ſacra tractari debeant, admoneamur. Hiſce autem conſcientijs laqueus minimè injicitur, quum fiant ſine opinione cultus & neceſſitatis, ut ſunt inter reliqua, precatio quę fit flexis genibus nudoque capite, Cenſuræ Eccleſiaſticæ & id genus aliæ, quæ diſciplinam conſervant. De his Eccleſiæ conſtitutionibus *Athanaſij*, dictum jactatur; quod *utiles ſint Cæremoniæ, ſed cum cognitione veritatis & mediocritate: Quas pertinaciter velle rejicere, eſt Cyclopicam barbariem & confuſionem in Eccleſiam introducere*: quum his ablatis, illam ſuis nervis diſſolvi, totamque deformari ac diſſipari, manifeſtum ſit. Videatur *Auguſtan. Confeſſ. art.* 15. *Pag.* mihi 7. & 8. & *ejuſdem Apolog. Pag.* mihi 165. & *Calvinus in Confut. Hollandi*: ut & *Vindic. Catechet. meæ, part.* 3. *Quæſt.* 91. *Pag.* 16, 17.

Athanaſij dictum de Cæremonijs.

2. *Chriſmatâ, characteres*] Pontificij ſub hiſce ſimilibuſque Cæremonijs, quas ſexcentas habent, magna myſteria ſubeſſe opinantur, in earumque obſervatione mirum ſolliciti ſunt: ſed qui ſecundum pietatis regulam de ijs judicat, videt primo intuitu, quod nugæ & præſtigiæ ſint; quum utilitatem nullam habeant, & ſpectantium oculos inani pompa deludant. Sed perperàm cum hiſce Cæremonias pias & utiles, rabioſi Anabaptiſtæ hi rejiciunt, ſibique novas, ridiculas, & inauditas fingunt.

Cæremoniæ variæ in Papatu.

4. *Miſſam*

Missa abominanda, non minus quàm Cæna Ciclopica Anabaptistarum.

3. *Missam unâ cum Baal illo, &c. abominentur*] Haud malè: sicut in *Vindicijs meis Catech. part. 2. ad Quæst. 80. p. 385. usque ad 405.* prolixè probavi. Verum non minus Thyestea sive Ciclopica Anabaptistarum horum Cæna, cujus infrà fit mentio; abominanda: quippe que & ipsa profanatio S. Cænæ à Christo fidelibus institutæ non minor fuit, quàm Pontificiorum Missa.

Mundo quomodo sit renunciandum. 2. Ioh. 2. 15.

4. *Toti mundo renuncient.*] Hæc Lex Anabaptistarum videtur congruere cum Scripturâ, quæ jubet, tum *ne diligamus mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, 1. Ioh. 2. 15. tum etiam ut *mortui cum Christo ab elementis hujus mundi, tanquam viventibus in mundo, decreta nobis in posterum præscribi ne patiamur.* Coloss. 2. 20. denique cum eo, quod Christus ait, *non posse nos* aliâ lege *suos esse discipulos, nisi Oderimus patrem, matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, &c.* Luc. 14. 26. Sed si sequentes eorum leges cum hac conjungamus, tetrosque eorũ furores, qui hisce se obstrinxerũt, recognoscamus, videmus meram impostura fuisse, que *sapientiæ* quidem *speciem* (ut Apostolus loqui solet, Coloss. 2. 23.) sed evanidam revera habuit: quo fuco monachismus Papisticus aliquandiu mundo imposuit, quòd relictis omnibus ejus professores mundo renuntiarint, spontaneamque mendicitatem seu paupertatem sectentur, *propter regnum cælorum Eunuchi* facti: quum tamen maxima pars eorum Curios simulent & Bacchanalia vivant, non solum Gnathonis Terentiani illius instar, mensas divitum ac magnatum

Luc. 14. 26.

Coloss. 2. 23.

Monachismus Papisticus quo modo mundo imposuit.

sectando,

ſectando, viduarum que & orphanorum domus ſub ſpecioſo religionis titulo diglutiendo: verùm non raro quoque, poſtquèm cum ejuſdem Comici Chæreâ Dori eunuchi larvam induerunt, ubi poteſtas datur, honeſtis matronis ac virginibus, ementitæ pietatis ſtabello, ventulum ſcil. devotionis illis factum, fucum indignè faciendo, Vide *Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 2. pag.* 93. 94. & *Act. 3. Sc. 5. pag.* 114. 115.

5. *Reditus annuos neque ſolvant, neque exigant.*] Vnde tam iniqua Lex, quæ furum aut latronum potius, quàm Chriſtianorum propria meritò cenſenda? niſi ex pravo intellectu Chriſtianæ libertatis, quo plenis buccis hi frenetici Spiritum & Spiritualia tonantes, (quaſi ab omni legum ſubjectione ſolutis hominibus libidini ſuæ obſequi liceat) multos his ſuis præſtigijs, faſcinârunt. Vnde à B. Petro & Judâ Apoſtolis rectè *fontes ſine aquâ, & nebulæ, quæ à turbine aguntur: undæ* denique *efferati maris, deſpumantes ſua ipſorum dedecora*, item *ſtellæ erraticæ* dicuntur tales, *qui libertatem alijs promittunt, quum ipſi ſervi ſint corruptionis*, 2. Pet. 2. 17. 19. Judæ 12. 13. Aſſerti quidem ſunt fideles à Chriſto in libertatem, liberati ſcil. à peccato, morte, inferno & Satanæ poteſtate; nec non à Cæremonijs Moſaicis, *ne quis eos inpoſterum judicet vel in cibo, vel in potu, vel in parte diei feſti &c.* Coloſſ. 2. 16. nequaquam tamen hæc libertas eò torqueri debet, ut à poteſtate parentum, dominorum & magiſtratuum liberi ſint, neminique res ſuas reddant, & ut reditus ſeu debita pecuniaria proximo non ſolvant. Ita enim

Reditus annui an licitè ſolvantur & exigantur.

2. Pet. 2. 17. 19. Epiſt. Judæ 12. 13. Libertas Chriſtiana vera quæ ſit. Coloſſ. 2. 16.

enim velle desipere est Christo in os contradicere, qui jubet *Ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo reddere. Matth.* 22. 21. tùm Apostolo, qui itidem vult, *ut reddamus omnibus quod debetur, Rom.* 13. 7. Pij igitur omissis fanaticis Anabaptistis, Baptistæ Iohannis, potiùs consilio acquiescunt, qui Publicanos eum de hoc consulentes, nequaquam ab exigendis tributis arcere, sed ad magistratuum leges remittere maluit, *nequid* scil. *amplius quàm quod eis constitutum erat, exigerent. Luc.* 3. 13. Quum igitur magistratui tributa imponere & exigere concessum sit: huic verò ex usu Reipl. fore visum sit, leges de decimis & annuis reditibus ferre, ei tam in solvendo quàm exigendo parendum est. Consule *lib. Zwinglij de Sedition. author. Tom.* 2. *fol.* 127. & *Bullinger, lib.* 2. *adversus Anabapt. cap.* 2. *pag.* mihi 39. &c.

Matth. 22. 21.

Rom. 13. 7.

Luc. 3. 13.

Magistratui tributa imponere & exigere fas est.

6. *Negociationes & commercia non exerceant*] Hanc legem ne saniores Anabaptistæ hodie probabunt. Quum enim ita conditi sint homines, ut in societate eos vivere necesse sit: atque ea ipsorum sit conditio, ut sine mutuis operibus & officijs statum suum tueri nequeant: opus certé habet humana vita contractibus & commercijs, quibus operarum & officiorum fit commutatio quædam & vicissitudo. Vnde *Xenophon in Oecon. Natura*, inquit, *alterum alterius indigere voluit, quia quod unus deest, præstò plærumque est alteri.* Quare sapienti Dei consilio negociationes moderatas, tanquam humanæ societatis vinculum, ordinatas esse, non est dubium,

Negociationem & commerciorum exercitium num sit habitum Christianis.

Xenophontis dictum de commercijs.

adeò

adeò ut nec magis earum ſubſidio carere poſſit hominum inter ſe ſocietas, quàm aquâ & igni. Ne verò in ijs peccemus, memores erimus dicti Pauli, quo jubet, ut *mores noſtri alieni ſint ab avaritiâ, Heb.* 13.5. utque ij, *qui emunt, ſint tanquam non poſſidentes.* 1. *Cor.* 7. 30. tùm *ne quis opprimat vel circumveniat in negocio fratrem ſuum.* 1. *Theſſal.* 4. 6. Et, quòd *diverſa pondera diverſæque menſuræ abominationi ſint Domino æquè utraque. Prover.* 20. 10. 23. *Amoſ.* 8. 4. 8. Denique, *quâ menſurâ metimini, eâ remetietur vobis. Matth.* 7. 2 &c.

Heb. 13.5.

1. Cor. 7. 30.

1. Theſſ. 4. 6.

Prov. 20. 10. 23.

Amoſ 8. 4. 8.

Matth. 7. 2

7. *Facultates nemo proprias habeat*] Hoc delirium veterum quoque hæreticorum fuit, qui *Apoſtolici*, *Encratitæ* & *Tatiani* &c. dicti, quaſi poſſeſſio divitiarum & uſus non ſit licitus Chriſtianis, ſed quod bona omnia inter eos communia eſſe debeant. Quod tamen maxima Anabaptiſtarum hodiernorum pars, præterquam in Moraviâ, tanquam abſurdum explodit. Quid vero furioſi iſto ſuo furore aliud quæſivére, niſi ut nullum ordinem hominibus reliquum facerent, ſed ut bonorum ſeu facultatum confuſionem urgentes, univerſum orbem in ſylvam mutarent latrociniorum plenam; in quâ unuſquiſque ſine pretio, aut nullâ fide habitâ, quicquid poterit, ad ſe rapiat. Cujus fructum miſeri, dum eorum luſtrum Monaſterienſe ab Epiſcopo & PP. obſidione premebatur, poſtea ſenſerunt.

An Chriſtiano facultates proprias tenere licitum ſit.

Anabaptiſtę id negantes quid quęſiverint.

Pij vero Scripturæ teſtimonijs edocti noverunt, haud quaquam juberi à

Domino, ut abjiciamus omnia, sive, ut si divitijs affluimus, eas penitus abdicemus à nobis: sed duntaxàt moneri, ut ijs benè utamur. *Psalm* 62, 11. *Esai.* 58, 7. *Luc.* 16. 9. Hinc Paulus *divitibus hujus seculi præcipi* vult, non ut divitias suas abjiciant, sed *ne efferantur, nevè sperent in divitiarum incertudine, sed ut benefaciant, & divites sint in operibus bonis, faciles ad largiendum, libenter communicantes* &c. 1. *Tim.* 6. 17. 18. Et alibi idem jubet pios *res suas agere & proprijs manibus operari, nequâ re ipsis opus sit: sed ut alijs quoque communicare possint.* 1. *Thess.* 4. 11. 12. Vide eleganter de his differentem *Calvinum in Instit. adversus Libertinos*, Cap. 21. *Bullinger. adversus Anab. lib.* 1. *Cap.* 9. *pag.* 22. & *lib.* 4. *Cap.* 9. *pag.* 143. & *Georgium Sobnium Tom.* 3. *pag. mihi* 299. & *Piscatorem in Genes.* 1. *obs.* 28. *pag.* 32. 33.

Psalm 62. 11. Esai. 58. 7. Luc. 16. 9. 1. Tim. 6. 17. 18. 1. Thess. 4. 11. 12.

8. *Veterum Christianorum exemplo*] Exstat illud in *Apostolorum Actis*, Cap. 2. 44. 45. & c. 4. 32. 34. 35. &c. ubi dicitur, *neminem* discipulorum *aliquid suum dixisse, sed omnes protulisse bona sua ad pedes Apostolorum.* Item, *eos quibus agri & possessiones erant, illa vendidisse, ut ex pretio accepto subvenirent pauperum inopiæ.* Quo exemplo fanatici hi niti voluére ad *Kakozelian* suam palliandam. Sed tenenda est regula Logicorum, quæ docet, *non valere exempla nisi congruant ad universalem regulam.* Quum verò nulla universalis sit regula, præcipiens aut ordinans communionem facultatum: quare neque hoc exemplum vim regulæ habet. Itaque ut illis concedamus, Hierosolymis talem

Act. 2. 44. 45. & c. 4. 32, 34. 35.

Christiani in primitivâ Ecclesiâ an omnium rerũ communionem habuerint.

rerum

rerum communionem fuiſſe, qualem illi ex cerebro ſuo fingunt: conſtat tamen exemplum hoc ſpeciale ſive peculiare quiddam eſſe, quod non ab omnibus Eccleſijs poſtulatur: quia neque Paulum, neque alios Apoſtolos uſquam legimus, inter gentes, in ullâ civitate, vel Eccleſiâ, hujuſmodi *Koinoonian* ſanciviſſe. Quamvis neque Communio illa bonorum, quam Lucas in Actis Apoſtolorum commendat, talis fuit, qualem Anabaptiſtæ introducere conati ſunt; quum unuſquiſque Chriſtianorum retineret familiæ ſuæ regimen, res ſuas ſibi haberet, & ſeparatim ſua adminiſtraret, ſicut exempla Tabithæ, Simonis coriarij, Lydiæ, & Mariæ matris Iohannis, in ijſdem Actis prolixè probant. Ergo dum Lucas ait, *neminem id quod poſſidebat ſibi proprium dixiſſe, ſed fideles omnia inter ſe communia habuiſſe*, non vult, quaſi in eundem acervum omnia bona ſua coacervarint, ſed quòd ſe mutuo ac fraterno amore ita ſint proſequuti, ut nemo ipſorum egenis deeſſe voluerit, ſed quiſque ex bonis ſuis, quemadmodum res exigebat, apertâ & benevolâ manu diſtribuerit. Communitas igitur iſta ad circumſtantiam reſtringi debet, ut bona Chriſtianorum dicamus communia fuiſſe *Chræſei*, ſed non *Ktæſei*, (ut Iuriſconſulti ajunt) ne quis videl. inter eos egeret. Vnde colligimus, non aliter collata in medium bona fuiſſe, niſi ut præſenti inopiæ ſuccurrerent. Adhæc communionem illam bonorum ſuorum nemini præceptam, ſed liberè ab illis obſervatam fuiſſe, ex verbis Petri liquet, quæ ad Ananiam dixit: *Nonne poſſeſſio tua dum manebat,*

Communio illa bonorum, cujus Lucas meminit, qualis fuerit.

nebat, manebat tibi, id est, ad tuos usus; *& venundata erat in tua potestate?* Act. 5. 4. Vnde colligimus, nemini fuisse impositam legem sua alienandi: Notum quoque est vetus illud proverbium: *Omnia amicorum communia*: sed quum ita loquebantur Pythagorici, non negabant quin suam quisque domum privatim regeret, neque illis consilium erat, proprias uxores vulgare. Ita communitas ista, quam Lucas commendat, non tollit œconomiam: sicut exsertiùs ex eo constat, ubi ex tot millibus duo tantùm nominantur, qui possessiones suas vendebant, & ad pedes Apostolorum offerebant. Amplificandi igitur causâ hoc dictum est, quòd divites non ex annuo tantùm agrorum proventu levarint fratrum inopiam sed eó usque fuerint liberales, ut ne agris quidem pepercerint. Quod fieri potuit, etiamsi se non spoliarent in totum, sed aliquâ ex parte reditus suos minuerent. Ita *Apostoli Christum sequentes omnia sua reliquisse* quidem *dicuntur Matth.* 19. 27. sed relictionem seu abdicationem illam proprietatis rerum possessarum non absolutam ac totalem, sicut fanatici fingunt, sed restrictam fuisse, nempe quoad quotidianum seu ordinarium ac perpetuum usum, quo se pro illo tempore abdicârunt, patet ex eo, quod *Dominus* narratur *venisse in domum Simonis & Andreæ* post illorum vocationem *Marc.* 1. 29. & *Luc.* 4. 38. Item quod *Luc.* 5. 2. Christus *docuit turbam* è naviculâ Petri. Id quod factum est post illius vocationem.

Act. 5. 4.

Pythagoricorum proverbium, Omnia amicorum sunt communia quomodo intelligi debet.

Matth. 19. 27. Apostoli Christum sequentes quomodo omnia reliquerint.

Marc. 1. 29
Luc. 4. 38.
Luc. 5. 2.

Item,

Item, quod de Iohanne Euangeliſtâ dicitur, *quod* Mariam *matrem domini* ſibi commendatam *in ſua acceperit. Ioh.* 19. 27. Non vero hoſpitio eam excipere, nec apud ſe eam habere poterat Iohannes, niſi fuiſſet illi domus & certa vivendi ratio. Item quod poſt Chriſti mortem Petrus unà cum alijs quibuſdam Apoſtolis abivit piſcatum, *Ioh.* 21. 2. 3. Vnde colligitur, illum adhuc habuiſſe ſuam navem & rete: etiamſi illis dum Chriſtum ſequeretur, non erat uſus. Quare valdè errant Anabaptiſtæ alijque fanatici, qui veterum Chriſtianorum exemplo abutentes, ſtolidè concludunt, quod nulla civilis inter Chriſtianos proprietas bonorum eſſe debeat. Ioh. 19. 27. Ioh. 21. 2. 3

9. *Platonicæ Reip. exemplo*] Certè hic error Platoni cum Anabaptiſtis communis fuit, qui *lib.* 5. *de Reipublica* (referente *Abrahamo de Cardes in Florilegio Philoſoph. Pag.* 87.) ita docet: *Omnia debent eſſe communia in Reipublica & exterminari debet* Meum *&* Tuum. Item *lib.* 3. *de Reipublica Omnia tua in commune deponito: nihil proprium poſſideto.* Et alibi: *Meum & Tuum, ſeminarium eſt omnium diſcordiarum.* Vnde verſus: Platonis error Anabaptiſticus. Meum & Tuum.

Si duo de noſtris tollas pronomina rebus,
Prælia ceſſarent, pax ſine lite foret.

Quamvis *Victorinus Strigelius in Ethic. Melanchthon. lib.* 2. *Pag.* 669. *Platonem id non ſerio, ſed per jocum diſputâſſe, exagitando* ſcil. Vict. Strigelius.

scopisci hominum sobrietas & plenissima quies
sinat. Verùm quum discipuli Platonis & Anabaptistæ dictum deu sensum interpretati sint; recte
Aristoteles opposuit lib. 2. Polit. Cap. 3. explodendam esse & exterminandam ex Republica Communionem illam ostendens: ibi *quod*
plurimum (inquit) *commune est, in eo minima adhibetur diligentia: nam de propriis maximè curat homines, de communibus autem minus, &c.*

10. *Magistratibus ac Principibus nullus subjicitur.* Vertiginosi hi spiritus dicerè probant, in se quadrare illud Petri, quod 2. Epist. 2. 10. cap. 2: *Eos audent, præsertim, qui dominationem despiciunt, & audaces non verentur blasphemare.* Et illud Judæ in Epist. vers. 8. *Dominationes rejiciunt, & in præsentia pie divos maledictis compellant.* Hæc enim pernicioſa lege quid aliud quæsiverunt, quàm jus gladij profanum & pietati adversum esse populo persuadere? Petrò dum, hic suos subsidiare volunt, si Magistratum ac Principatum esse rem profanam, Christianoque homini minimè competentem ac hominem peccatoribus superioribus parere libertatem debere. Utrumque dico falsum fuisse Satanæ esse, contra diserum Spiritus Sancti de Magistratus authoritate & sanctitate consilium, palamque. Ita enim Spiritus Sanctus de authoritate magistratus: *Non est potestas nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ.* Item: *Dei minister est tibi in bonum.* Rom. 13. 1. 4. Hinc etiam appellantur, Psalm. 82. 6. perplexorum

rum

rum ratione; sed propter dignitatem officij. Rationem reddit Christus ipse, Joh. 10. 34. quoniam consecrati sunt à Deo, qui male ipsius munus mandavit. Vnde cœlestis Sapientia rursum ait: *Per me reges regnant & principes justa constituunt.* Prov. 8. 16. Et Esaias de Christi adventu prædicens, docet, Reges fore Ecclesiæ Christianæ *nutritios, & reginas veluti nutrices uberibus suis eam lactaturas.* Esai. 49. 23. & cæt. Sic pro magistratu precari ab Apostolo jubemur, 1. Tim. 2. 1. 2. 3. Non igitur est res profana, neque homine Christiano indigna. Vnde etiam alterum sequitur: quod scil. Christianus salvâ pietate & integrâ conscientiâ, obedientiam magistratui præstare possit; quodque politia religioni non sit adversa. Hoc non solum confirmat Apostolica parænesis, quæ vult, ut *omnis anima potestatibus superioribus subdita sit; nec potestatibus Dei ordinationi resistamus*, at potius *ei tributum, vectigal, timorem & honorem reddamus.* Rom. 13. 1. 2. 7. Tit. 3. 1. Sed ipse Dominus quoque mandavit, *ut quæ Dei Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari penderentur.* Matth. 22. 21. Huc facit illud Salomonis: *Reverere jehovam, fili mi, & regem, & cum seditiosis ne commiscearis.* Prov. 24. 21. Accedit ratio ex sacris literis ibidem desumta: Nam licet Christianis subesse Ethnico; ergo magis subesse Christiano magistratui: ac subesse plus adversetur Christianæ libertati: ergo magis etiam licet præesse Christianis. Denique externa pace opus est nobis, & contra insultus hostiles defensione requiritur, ut magistratui civili subditi, ut

Prov. 8. 16

Esai 49. 23

1. Tim. 2. 2. 3.

Politia religioni non est adversa.

Rom. 13. 2. 7. Tit. 3. 1. Matth. 22. 21. Prov. 24. 21.

vitâ conjugium, fama & bona nobis alendis destinata non opprimantur aut diripiantur, maculenturque alieno injustitiæ arbitrio.

An magistratus officium sit secundum carnem.

11. *Siquidem renatos non carne*] Instantia hæc Anabaptistarum est contra authoritatem magistratûs: Si magistratûs officium est secundum carnem; sequitur, Christianos non posse eo fungi, vel ei subjici: quia videl. Christianorum est *secundum Spiritum, non secundum carnem vivere*, Rom. 8. 12. 13. At verum est antecedens ex epist. ad *Ephes.* 6. 5. & *Coloss.* 3. 22. ubi illi qui præsunt alijs, *domini secundum carnem* nominantur. Verum igitur quoque est consequens. Resp. Homonymia est in *Το secundum carnem*: quod in locis citatis diversimodè capitur. In octauo enim capite ad Romanos Το *secundum carnem*: significat, secundum pravam carnis concupiscentiam: sed in reliquis locis ad Ephes. & Coloss. *domini secundum carnem* intelliguntur, non qui secundum pravam carnis concupiscentiam imperant, sed qui in rebus corporalibus seu carnalibus, id est, politicis & externis dominantur: à quibus etiam requirit *eodem cap. ad Ephes. vers.* 9. & ad *Coloss.* 4. 1. ut moderatè & sanctè suo in servos imperio utantur, quod profectò non carnalis hominis est, sed Spiritualis. Imò 1. *Tim.* 6. 2. etiam fidelibus dominis inserviendum esse dicit. Itaque unus & idem, & dominus secundùm carnem, id est, in rebus corporalibus & externis, & fidelis ac servus Christi, in rebus Spiritualibus esse potest.

Rom. 8. 12. 13. Ephes. 6. 5 Coloss. 3. 22.

Ephes. 6. 9. Coloss. 4. 1

1. Tim. 6. 2

12. *Perfectionis fortè gradus*] Qui prius id honoris

honoris principibus & magiſtratui deferebant, ut eos haberent pro præ donibus; videntes, intollerabilem hanc aſſertionem ſuam eſſe, paulò mitiores ac modeſtiores facti, concedunt quidem, terrenam dominationem Dei ordinationem eſſe, ſed extra perfectionem Chriſti: quum in perfectione Chriſti ex eorum ſententiâ utendum ſit excommunicatione, ſeu banno tantum Eccleſiaſtico, ad commonefactionem ejus qui peccavit, ne amplius peccet teſte *Calvino in Inſtr. adverſus Anabapt. art. 6. & cæt.* Vide *Protocollum Colloq. Franckethal. art. 5. Act. 26. Pag.* mihi 537.

An officiam magiſtratus ſit extra Perfectionem Chriſti.

13. *Matrimonia retinctis renoventur.*] Quatuor hîc præcipiuntur:

1. *Anabaptiſmus* ſeu *Iteratio Baptiſmi.*
2. *Matrimonij ab Anabaptiſtis contracti renovatio.*
3. *Divortium ob Anabaptiſmi detrectationem conceſſum.*
4. Et *Polijgamia*, id eſt, *uxorum pluralitas.*

De ſingulis breviter id ſciendum.

1. *ANABAPTISMVS*, hoc eſt *Retinctio* ſive *Rebaptizatio* jam olim Africam commovit ſub Imperatoribus *Decio* & *Gallo*, aſſertoribus *Cypriano martyre* & reliquis *Epiſcopis Concilij Carthaginenſis*, qui baptizatos ab hæreticis iterum eſſe in Eccleſiâ baptizandos aſſeruerunt: Quibus *Cornelius* martyr & Epiſcopus Romanus ac alij Epiſcopi Italiæ maturè ſeſe oppoſuerunt. Quum verò Ariani & *Donatiſtæ* pertinaciter Anabaptiſmum defenderent,

Anabaptiſmus jam olim Eccleſiam commovit.

lex

lex imperatoria ab Honorio & Theodosio Impp. edita eum interdixit, ut videre est apud *Iustinianum Cod. lib. 1. Tit. 6. cap. si quis. Siquis*, inquit, *rebaptizare quempiam de ministris catholicæ sectæ fuerit retectus: unà cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.*

Baptismus iterari non debet.

Quare apud fideles *Axiopiston* illud est, quòd Baptismus semel tantum dari debeat, sicut Christus & Apostoli semel baptizati sunt. Et, quòd tàm hi, qui rebaptizantur, quàm qui rebaptizant, nomen Domini, quod super baptizatos semel invocatum est, gravi contumeliâ afficiant, & institutum Domini tanquam inane & irritum rejiciant. Absque causâ verò Baptismus iteratur, quum Baptismi semel dati vis per totam vitam duret: quia qui semel Christo est insitus, & per Christum lotus, non perit, neque fit immundus, etiamsi peccando nonnunquam impingat. Tametsi enim illa peccata cursum Sanctificationis interrumpunt, Iustificationem tamen non evertunt. Consulatur *Bullingerus lib. 6. adversus Anabapt. c. 7. pag.* mihi 223, Prætereo quod Anabaptistæ in *Colloquia Franckethal.* lassi sunt, quod Anabaptismus mandato & exemplo in S. Literis careat. *Act. 36. artic. 12. 4. 37. pag. 751.*

Rebaptizantes quantopere peccent

Anabaptismus mandato & exemplo in S. Literis caret.

2. *Matrimonij renovatio.*

Matrimonij renovatio Anabaptistarum illegitima.

Hæc ab Anabaptistis instituta, reverà ejusdem prodigiosa profanatio fuit, quâ conjux conjugem quâvis de causa deseruit, & *tanquam equus saginatus*, ut Propheta loqui solet, *quisque*

que ad uxorem proximi ſui laſcivus hinnijt, Ierem. Ierem. 5. 8.
5,8. contra voluntatem Domini præcipientis, *honorabile ut ſit inter quoſvis conjugium & cubile impollutum. Heb.* 13.4. Qui vero uxore Heb. 13.4.
propriâ relictâ, proximi uxorem ſibi adjungit, adulterij non modó reus eſt, ſed etiam Deo & naturæ ſummè injurius. *Deo*, tanquam conjugi primo authori, cujus ſacrũ nodum impiè abrumpit, contra quàm ille dixit: *quod Deus copulavit, homó ne ſeparet. Matth.* 19. 6. *Naturæ* vero, Matth. 19.
quæ integritatem corporis ſui amat; quia autem 6.
conjuges non ſunt duo, ſed una caro: ſequitur, quod qui uxorem repudiat, quaſi dimidiam ſui partem à ſeipſe avellat, atque hoc pacto naturæ vim faciat. Pij igitur acquieſcunt libenter eo, quod ſcribitur: *Vxor à marito ne diſcedat: quòd ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconcilietur: & vir uxorem ne dimittat*, 1. *Cor.* 1.Cor.7.
7. 10, 11. videl. *niſi ob fornicationem*, ut Chri- 10.11.
ſtus ait. *Matth*, 19, 9. Moſes quidem olim ſuo Matth. 19.
permiſit populo divortium, leviſſimis etiam de 9.
cauſis: uti eſt, ſi uxor viro non probetur, ſi non Divortium
ametur, ſi faſtidiatur, *Deut.* 24. 1. quum enim cur olim à
videret populum præfractum quibuſvis de cau- Moſe Iudeis per-
ſis ſuas repudiare uxores, neque illud vitium miſſum ſit.
poſſe ſine magno majoris mali periculo, uti eſt Deut. 24. 1.
homicidium, prohiberi: idcirco ut prudens magiſtratus legem tulit, ut qui hoc facerent, ſaltem citra uxoris infamiam faciant, dato nimirùm repudij libello, quo in libello uxores à viris dimiſſæ, omni crimine, omnique criminis ſuſpicione liberarentur. Neque igitur Moſes filijs Iſraël devortium ideo permiſit, quod hoc

simpliciter probârit, quum ab initio non ita se res habuerit: sed partim, ut spectatâ illius populi duritie, graviora evitarentur mala: partim ut innocentię uxorum dimissarum consuleretur. Hanc ostendit dominus fuisse causam, propter quam Moses Spiritu Dei afflatus, eam de diuortijs legem tulit. Sed temerè divortia non facienda monet, dicens: *Ab initio* (instituti scil. matrimonij, eoque & orbis conditi) *non fuit sic*, hoc est, non fuit permissum primis conjugibus inter se, ut divortium facerent: sed contra potius jussi fuerunt ambo, ut sanctissimo conjugij vinculo simul à Deo conjuncti, conjunctionem hanc indissolubilem conservarent. Quare qui prior vel alterum deserit, ut cum eo nolit habitare, vel corpus alij quàm suo conjugi fruendum præbet: is certè, quantum in ipso est, conjugij vinculum solvit, & contra primam illius institutionem peccat. Tametsi verò non quavis ob causas, ob certas tamen, ipsis etiam Christianis, divortium illud, de quo Iudæi Christum interrogârunt, à Christo permittitur. Divortium autem, de quo Iudæi quæstionem Christo proposuerant, & quod Christus nobis concedit, hujus est generis, ut eo legitimè facto, parti liceat innocenti, novo conjugij vinculo, alij copulari. At verò causæ propter quas liceat hoc facere divortium, hæ sunt: Prima, si non sint conjuges è Deo, hoc est, ligitimè & juxta Dei legem simul conjuncti: quod hoc minimè sit verum matrimonium. Tantùm enim verat separari Christus, *quod Deus conjunxit, Matth.* 19, 6. Licet igitur, juxta Christi doctrinam, sepa-

Matth. 19. 8.

Divortia Christianis quoque certas ob causas à Domino permittuntur.

Matth. 19. 6.

ſeparare, quod non conjunxit Deus. Altera cauſa, ſi inter legitimè conjunctos intercedat adulterium. Qui enim committit adulterium, is rupto conjugij vinculo, perfidus ſeparat, quod Deus conjunxerat, dum ſeſe à ſuo conjuge per adulterium ultro ſejungit. Quare conjux innocens quum ſolutus ſit, non ſuâ, ſed alterius conjugis culpâ, prioris conjugij vinculo, ſi alteri legitimè copuletur, non peccat: 1. Cor. 7. 27. 28. Sed nihil quicquam id facit ad defenſionem profanæ iſtius renovationis matrimoniorum, quam hi fanatici Momothetæ Monaſterienſes ſuis coërronibus mandârunt. 1. Cor. 7. 28.

3. Porro quod de Divortio illi addunt ob retinctionem ab altero conjugum recuſatam quaſi licito, id ex pharetrâ Thomæ, Muntzeri aliorumque turbonum prodijt; quo ſtatuerunt, fidelem, hoc eſt, rebaptizatam mulierem non poſſe cohabitare marito non rebaptizato, & viciſſim: non enim matrimonium, ſed diabolicam ſcortationem eſſe: ideoque quamdiu talis mulier cum gentili marito habitet, pollutam eſſe & alienam à ſalute. Cui furori opponitur merito illud Apoſtoli: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & ipſa conſentit cum eo habitare, ne dimittat eam. Et mulier ſi maritum habet infidelem, & ipſe conſentit cum eâ habitare, ne relinquat eum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis in uxore: & ſanctificata eſt uxor incredula in viro: & cæt.* 1. Cor. 7. 12. 13. 14. Divortium an ob recuſatam retinctionem ab altero conjugum ſit licitum. 1. Cor. 7. 12. 13. 14.

4. De Polygamiâ.

Poly-

Polygamia est corruptela conjugij.

Polygamiam insani isti cum blasphemo Mahometo quoque introduxerunt, asserentes, virum uni uxori suæ non adstringi, sed alias plures habere posse ad augendam prolem. Contra hanc conjugij corruptelam semper reputandus est ordo divinitus præfixus, Christo docente, *Matth.* 19. 4. 8. an videl. primus institutor conjugij, hoc est, Deus, quum creavit hominem & conjugium instituit, dederit plures uxores uni viro? Quod si non plures dedit, sed *duo in unam carnem* esse voluit, constat, adulterinam esse & alienam à legitimâ & purâ ratione conjugij Anabaptisticam Polygamiam: quâ ratione olim *Malachias* propheta *cap.* 2, 15. Judæos polygamos impietatis convicit, inquiens: *Annon unum fecit Deus?* nempe ubi virum mulieri conjunxit, & voluit esse compares, ut ita loquar, sub uno jugo. *Quorsum* Deus fecit *unum?* nempe, *quærens semen Dei*, h. e. Conjugium Deus instituit, unde nascerentur legitima soboles & pura. Quo tacitè simul Propheta ostendit, spurios omnes fore, qui ex polygamiâ nascentur; quum legitimi filij censeri nequeant, nisi qui juxta Dei ordinem gignuntur. Hûc facit, quod Apostolus jubet, *ut unusquisque masculus uxorem suam, & mulier unaquæque suum proprium maritum habeat*, asserens mutuam esse obligationem; cujus fides per secundum tertiumque nexum frangitur. Denique quum hæc quoque perpetua conjugij lex sit, ut se vir abdicet corporis sui potestate, eamque uxori tradat, quomodo eam alteri dare potest? ut videre est 1. *Cor.* 7. 2. & 4. Quare potiùs divinæ institutioni

Matth. 19. 4. 8.

Mal. 2. 15.

1. Cor. 7. 2. 4.

ſtitutioni oblemperemus, polygamos verò ad domum impij Caini, unde primò impuri iſti canes prodierunt, remittamus, ubi Lamechum cum ſuâ Hadâ & Sillâ colludentem intuentes, exempli eos pudeat, *Geneſ.* 4. 19. Quòd autem polygamiam in ſanctis patribus Deus toleravit, hinc non ſequitur approbâſſe: quùm certum ſit, eum nihil approbare, quod ordini, quem ipſe inſtituit, adverſatur. Geneſ. 4. 19.

14. *Creſcite & multiplicamini*] Verba ſunt Iehovæ, quibus primis parentibus in paradiſo benedixit, *Geneſ.* 1. 28. dum matrimonio eos, quos maſculum & fœminam antè creaverat, conjunxit, ad propagationem humani generis, non certè frænum illis aut eorum poſteris laxando, ut in vagas libidines ruerent abſque delectu & pudore, ſed præcipiendo, ut ſecundùm ordinem ſuum ſancti caſtique conjugij cancellis ſeſe continerent. Vnde conſequitur, polygamiam Deo diſplicere: nam ſi placeret, uni maſculo ſtatim initio plures fœminas addidiſſet, quò citiùs genus humanum propagaretur. Vide hoc de argumento plura apud *Baſilium Monnerum Iuriſc. in Tractat. matrim. pag. mihi* 31. *uſquè ad* 79. Geneſ. 1. 28.

15. *Apprehendent ſeptem mulieres*] Locus exſtat *Eſai* 4. 1. ubi Deus filiabus Zyonis poſtquam ſuperbiæ & laſciviæ eas ſeveriſſimè accuſavit, ultionem ſuam, quæ vitijs illis parata ſit, denunciat, connumerans inter cæteras pœnas viduitatem & cælibatum: Itaque futurum eſſe, innuit, ut poſtquam viri gladio cæſi & contrucidati concidérent, quæ antehac Eſai 4. 1.

singulæ à multis expetitæ mulieres, nunc commutatâ ratione multæ simul unum virum sint expetituræ, & quidem juri suo renunciantes; tantùm ut viduitatis & cælibatûs opprobrio liberatæ, sub viri istius fide & tutelâ degant. Quid vero id ad Polygamiam? Nihil omnino.

16. *Baptismum Infantium*] De Pædobaptismo hic tria dicuntur. 1. Quando ceperit, sive quo tempore institutus sit. 2. Quo authore idem cæperit. 3. An abolendus?

Pædobaptismus quo tempore cepetit.

1. De primi rectè Herespachius ait, non esse morem recens memoriâ introductum: nec sub regno Papæ initium cæpisse: sed sacro-sanctum institutum esse perpetuo observatum in Ecclesia Christiana: siquidem (ut *Calvinus Instit. lib. 4. Cap. 16. vers. 8.* ait) nullus est scriptor tam vetustus, qui non ejus originem ad Apostolorum sæculum pro certo referat. Ita vero inter alios *Origines in Cap. 6. ad Rom. Pro hoc*, inquit, *& Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare.* Et *Homil. 14. in Lucam: Quia per baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli.* Et *Augustinus lib. 3. de pecc. mer. & remiss. Cap. 6.* de eodem inquit: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolicâ authoritate traditum, rectissimè creditur.* Vide eundem *contra Donatist. lib. 4. Cap. 23. & 24. Cyprian. lib. 3. ad Fidum presbyter. Hieronym. lib. 3. adversus Pelagian. Cyrill. in Levit.*

Origines in cap 6. ad Rom.

Idem homil. 14. in Luc.

August l. 3. de pecc. mer. & remiss. c. 6.

Levit. 8. & Bernard. Serm. 66. ſuper Cantic. Non verò hoc Anabaptiſtis objicitur, quaſi antiquitas pro clypeo nobis ſit, à quibus infantium baptiſmus defenditur: ſed ut eorum impudenti calumniæ obviam eatur, quâ perſuadere ſimplicioribus volunt, obſervationem adeó vetuſtam à Papâ profectam, atque adeó traditionem novam eſſe. Sufficit nobis manifeſta Scriptura (fruſtra contra hoc tergiverſante *Iohanne Piſtorio in Hodoperico* ſuo, *pag. 34. & in Theorem. Grynæi. pag. 29.* quæ de hoc diſertè tradit, dum *Hebr. 6. 2.* eadem doctrina in alijs Catechumenis Baptiſmi doctrina, in alijs verò Impoſitionis manuum vocatur. Ad quid enim id fieret, niſi quia hi, liberi videl. fidelium, accepto jam baptiſmo, tranſactâ infantiâ in fide erudiebantur: ut non aliud reſtaret, quàm illi manus imponere, quamprimùm ad Catecheſin ſe offerrent, quæ in illis Baptiſmo erat poſterior: qui mos etiam num in Eccleſijs Haſſiacis laudabiliter obtinet. Extraneorum verò alia ratio erat, qui non ante ab baptiſmum perveniebant, quàm editâ fidei profeſſione. In illis ergo Catecheſis baptiſmum præcedere ſolebat, ſicut eleganter *Calvinus in Commentar. Epiſt. ad Hebræos*, *Cap. 6.* notat. Cæterùm quanquam non tradit Scriptura totidem ſyllabis, *Infantes fidelium baptizandos eſſe*: per *Iſodunamian* tamen hoc inde colligi poteſt: ut pote quum de fidelium liberis dicitur, quòd in fœdere ſint. Ideo ſi ad illos pertinet fœdus,

Pædobaptiſmus in S. literis docetur. Heb. 6. 2.

Calvin in Epiſt. ad Hebr. c. 6.

tanquam majus, ad eos quoque pertinebit sigillum fœderis, tanquam minus. *Genes.* 17. 7. 12. & 1. *Cor.* 7. 14. Atque hinc est, quod *Christus* etiam *parvulos* blandissimè *ad se venire jussit, & ulnis suis complectens, iisdem benedixit regnumque cœlorum*, hoc est, omnia fœderis salutisque æternę beneficia, *promisit*. Tales verò, quibus Christus omnia illa contulit, à Baptismo & ab Ecclesiâ arcere nefas est. *Matth.* 19. 13. 14. 15. & *Marc.* 10. 14. Summa, Omnes ad Christum pertinentes sunt baptizandi: quod nemo, nisi Christi adversarius negabit. Tàm latè enim patet Baptismus, quàm Christus. Infantes Ecclesiæ ad Christum pertinent. Serio enim hos ad se vocat, & arceri vetat. Ergo &c. Qui plura de his scire desiderat, petat ex *Zwinglij Elencho contra Catabapt. fol.* 7. 20. 36. *Bullinger. lib.* 6. *adversus Anabapt. Cap.* 2. 3. 4. &c. *Calvin. instit. lib.* 4. *cap.* 16. *vers.* 1. & seqq. *Vrsin. in Expl. Catech. ad Quæst.* 74. *pag.* mihi 505. & seqq.

Genes. 17. 7. 12. 1. Cor. 7. 14.

Matth. 19. 13. 14. 15. Marc. 10. 14

2. Quis author Pædobaptismi sit, quæritur? Ajunt Anabaptistæ eum à Cacodæmone invectum, ministerio videl. Papæ: quæ horribilis blasphemia est, divinæ veritati & sacro Baptismo injuria: quum ex perpetuâ Ecclesiarum Christianarum historia sat constet, Diabolum sæpius suos ministros excitâsse, qui infantium baptismum impiè negarunt, Anabaptismumque & Catabaptismum introduxerunt, Tales *Donatistæ*, *Hierachistæ*, *Pelagiani*, *Marcion*, *Thomas Muntzerus*, *Menno Si-*

Quis sit Pædobaptismi author.

no Simonis, Michaël Servetus, alijque infiniti Anabaptiſmum foventes. Nos verò cum univerſali Chriſtianâ Eccleſiâ non alium authorem Baptiſmi infantium, quàm adultorum, credimus, nempe Chriſtum : minimè verò Romanum Pontificem cum ſuis Satrapis, ut Ieſuitæ alijque Romaniſtæ adulatoriè non minùs quàm falſò aſſerunt: Vide *Adami Tanneri Relat. Colloq. Ratisbon. Cap. 7. pag. 38.*

3. An Pædobaptiſmus in Eccleſiâ retinendus, an verò abolendus ſit, quæritur. Anabaptiſtæ poſterius, nos primum aſſerimus. Noſtri affirmati ratio eſt, quam modò dixi: quia Baptiſmus dari debet omnibus fœderatis Dei, ac proinde etiam Infantibus Eccleſiæ fœdere Dei non minus quàm adulti gaudentes. Anabaptiſtæ huic obſtrepunt in *Cantiunculis ſuis Scripturalibus*, quas vocant, *pag.* mihi 128. *b*, ſic argutando: Pædobaptiſmus an in Eccleſiâ ſit retinendus.

Wy ſeggben na Schrifts ontknoopen,
Dat den kinderen ſulex niet en behoort:
De kinderen wy wel weten,
Datſ in ghenaden ſtaen;
Ten is niet dan ydel vermeten
Dat aen haer wordt ghedaen,

Id eſt: *Nos juxta enodationem Scripturæ dicimus, Baptiſmum nihil quidquam ad infantes pertinere: Scimus quidem eos gratiæ Dei participes eſſe; verùm quidquid ſcil. in eis baptizandis impëditur, nil aliud quàm vana ac temeraria audacia*

est. Sed ubinam Scriptura Infantibus baptismum denegat? In margine annotant,
Matth. 28. 19. duo loca, nempe *Matth.* 28. 19. & *Marc.* 16. 16. Sed perperàm reverà: quum enim
Marc. 16. 16. Christus jubeat ibidem omnes gentes baptizari, haud dubiè etiam infantes omnium gentium mandato hoc comprehenduntur: ut liberi cum parentibus Baptismi Sacramento novo fœderi inaugurentur. Anabaptistæ
Obj. excipiunt: Ex mandato Christi priùs esse docendos, postea baptizandos: Infantes verò doceri non posse: nec igitur baptizandos.
R. Sed Major neganda est universaliter: Tantùm eos baptizandos esse, qui possunt doceri. Nam *Mathætêuein* est *discipulos facere.* At possunt discipuli Christi fieri etiam infantes: vel certè vera duntaxàt est de adultis, qui priùs doceri & ad fidem converti, quàm Baptizari debent. Ab adultis enim, non ab Infantibus, ordienda erat novæ Ecclesiæ collectio. Sed non excludebantur infantes fidelium parentum à societate Ecclesiæ. Ergo neque baptismo Ideó Apostoli passim leguntur totas familias baptizâsse, non exclusis parvulis. Vnde Petrus quum Iudęos hortaretur, *ut baptizarentur in remissionem peccatorum*, rationem subjungit talem, *quia*, inquit, *vestra & vestrorum*
Act. 2. 38. *liberorum est promissio.* *Act.* 2. 38. 39. Huic
39. accedit etiam istud, quòd Christus totam Ecclesiam mundavit per lavacrum aquæ in
Ephes. 5. verbo. *Ephes.* 5. 26. Ad Ecclesiam verò
26. etiam pertinent infantes fidelium quos Dominus

minus, ut modò vidimus, jubet ad ſe venire: quoniam horum eſt regnum cælorum. Sed de hoc themate hæc pauca modò ſufficiant.

16. *Non defuerunt, qui baptizare igni ociperent.*] De hoc *Bullingerus*, *Sleydanus* & *Guido de Bres* aliiſque hiſtoriæ Monaſterienſes Scriptores, quos equidem vidi, tacent. Eſt verò hæc phantaſia Æthiopum, qui aliâs Abyſſini dicuntur: non enim contenti aquæ baptiſmo, inſuper tinctos à ſe ſtatim igne inurunt: ut *Seleucus* & *Hermias* Galatæ, qui (ut refert *Auguſtinus*) non baptizabant in aquâ, ſed in igne: *Ignis* vocem in dicto Iohannis Baptiſtæ iſto, *Qui poné me venit, ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni*, *Matth. 3. 11.* propriè intelligentes, quæ metaphoricè accipitur pro vi Spiritûs Sancti: quia inſtar ignis adurit, & abſumit ſordes peccatorum in regeneratione baptiſmi: quomodo etiam exegeticè Spiritus vocatur *Aqua*, *Ioh. 3. 5.* propter ſimilem efficacitatem, quia in Baptiſmo, non aqua externa, ſed interna, quæ eſt ipſe Spiritus, abluit & purgat peccata: quatenùs nimirùm Spiritus Sanctus cor emundat, certiorando ipſum de remiſſione peccatorum per ſanguinem Chriſti, *qui nos purgat ab omni peccato*, *1. Ioh. 1. 7.* tum etiam, quatenus cor quaſi rigat & fertile reddit bonorum operum, tanquam ſuaviſſimorum Deoque gratiſſimorum fructuum. Baptiſmus ignis ab Anabaptiſtis quibuſdam introductus. Matth. 3. 11. Ioh. 3. 5. 1. Ioh. 1. 7.

18. *Chriſtum carnem à matre non aſſumſiſſe.*] Hoc perverſo dogmate ſuo Anabaptiſtæ probant, ſe ex eorum numero eſſe, de quibus

Apostolus Iohannes testatur, *quòd multi seductores ingressi sint in mundum, negantes Iesum Christum venisse in carnem. Qui enim id non confitetur, ait idem, hic est seductor*, sive *impostor*
2. Ioh. vers. 7. *ille & antichristus.* In 2. *Epist. vers.* 7. Pij autem è Scripturis rectiùs edocti, corde & ore profitentur, quòd Iesus Christus, qui est & permanet verus ac æternus Deus, in tempore carnem assumens *Semen mulieris* factus sit, juxta
Genes. 3. 15 promissionem primis parentibus nostris in paradiso factam. *Genes.* 3. 15. *Virginis* item con-
Esai 7. 14. ceptu & partu editus *Filius Esai*, 7. 14. *natus* quip-
Gal. 4. 4. pe *ex muliere*, Gal. 4. 4. hoc est, *Virgine Mariâ*,
Matth. 1. 16. *Matth.* 1. 16. *Fructusque ventris ejus*, Luc. 1.
Luc. 1. 42. 42. Nam *quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps fac-*
Heb. 2. 14. *tus est eorundem. Hebr.* 2. 14. *seque ipse inanivit formâ servi acceptâ, similis hominibus factus, &*
Phil. 2. 7. 8 *habitu compertus ut homo*, Philip. 2. 7. 8. *Nusquam* enim *Angelos assumit, sed semen Abrahæ*
Heb. 2. 16. *assumit* &c. *Heb.* 2. 16. *se Deum in carne manifestans.* 1. *Tim.* 3. 16. Quinimò vel ipsa Con-
1. Tim. 3. 16. ceptionis & nativitatis Christi historia blasphemos Anabaptistas confundit: quum eodem ferè modo, quo aliorum Conceptio & nativitas describatur. Exempli gratiâ: De Elizabethâ Matre Iohannis Baptistæ scribit *Lucas*, *Cap.*
Luc. 1. 24. 1. 24. *Post illos dies concepit Elizabeth*: Sic de Matre Virgine Mariâ idem Lucas scri-
ibid. 31. 57. bit, *ibidem vers.* 31. *Et ecce concipies in utero, & paries Filium.* De Elizabethâ porrò scribitur, *ibidem vers.* 57. *Elizabethæ verò impletum est tempus pariendi, & peperit filium.*

Sic

Sic de Mariâ refert idem Euangeliſta, *cap.* 2, 6. 7. *Completi ſunt dies quibus ipſa pareret: peperit igitur filium ſuum primo genitum.* Viden dulcem utrobiq́ue harmoniam hîc eſſe; quâ probatur, quàm verè Elizabetha mater Iohannis fuit, tam veré etiam Maria Virgo ſit Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quare etiam in S. literis hæc non minus mater Ieſu, quàm illa mater Iohannis indigetatur. Huic accedit dilucidum Spiritûs Sancti, cujus vi Chriſtus in utero matris conceptus eſt, effatum, quo de Mariâ dicit: *peperit igitur Filium* S V V M *primogenitum*, hoc eſt, editum ex carne & ſanguine ſuo, *Luc.* 2. 7. Objiciunt adverſarij contra hoc quidquid poſſunt, ne, Chriſtum carnis & ſanguinis noſtri participem factum, concedere opus habeant. 1. Ajunt, per *ſemen mulieris*, *Gen* 3. 15. non Chriſtum, ſed genus humanum intelligi. 2. Negant Chriſtum ex ſemine Abrahæ & Davidis ortum: & *Tò Semen* per *familiam* interpretantur, quoties Chriſtus ſemen Abrahæ & Davidis in S. Scripturâ dicitur. 3. Objiciunt loca Scripturæ, ut illud Hebr. 10, 5. *Corpus aptâſti mihi.* Et Ioh. 3. 31. *Qui ſuperne venit ſupra omnes eſt: qui è terrâ eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur: qui è cælo venit, ſupra omnes eſt.* Cui adjiciunt illud Epheſ. 4. 9. *Deſcenderat prius in infimas partes terræ.* Deniq́ue illud Ioh. 6, 51. *Ego ſum panis vivificus, qui de cælo deſcendit, &c.*

Luc. 1. 6. 7.

Ibid.

Gen. 3. 15.

Heb. 10. 5.

Ioh. 3. 31.

Epheſ. 4. 9

Ioh. 6. 51.

Reſpondeo ad ſingula paucis: 1. Quod locus *Geneſ.* 3. 15. de Chriſto ſit intelligendus, ex *epiſtolâ ad Hebræos*, *cap.* 11, 4. percipitur, ubi,

Abel per fidem sacrificium Deo obtulisse, dicitur. Fides verò non est, ubi non est promissio, Et fides necessariò præsupponit notitiam gratuitæ in Christo promissionis, quam is qui credit, sibi applicet. Quia igitur Adam, Abel, Seth & Enoch cęteriq́ue pij ad Abrahamum usq́ue non aliâ promissione de Messiâ steterunt, nisi illâ, quæ *Genes.* 3. exstat, veré & constanter à nostris asseritur, Promissionem illam de Christo, vero Deo veroq́ue homine intelligendam esse, ac proinde Christum Semen mulieris, hoc est, verum hominem ex homine, sine peccatis tamen, ibidem promitti, sic quidem, ut divina ejus natura simul denotetur, quatenus potentia conterendi caput serpentis ei attribuitur. Frustra hisce authorias *Calvini* obtenditur, quòd is dictum illud de Semine mulieris non individuè de solo Christo, sed collectivè de tota mulieris posteritate, sive de toto humano genere interpretetur: quum ex ejus *commentarijs*, *in Genesin & Instit. lib. 2. c. 13. vers.* 2. sicut etiam ex *Epistola ad Mycronium contra Mennonem*, *fol. mihi* 299. constet, eum illud sic de genere humano sive electis Christo per fidem insitis interpretari, ut tamen Christum ecclesiæ electorum caput precipuè includat.

21. 4. Per Semen mulieris in Genesi quis intelligatur.

Calvini sententia de eodem.

Christus est Semen Abrahæ & fructus ventris Davidis. Gal. 3. 16. Heb. 2. 16. Psal. 132. 11. Act. 2. 30. & c. 13. 22. 23.

2. Quod Christus sit Semen Abrahæ, & fructus ventris Davidis, patet ex *Gal.* 3. 16. *Heb.* 2, 16. *Psalm.* 132. 11. *Act.* 2, 30. & 13. 22. 23. Hæc certé & similia testimonia versipelles illi non minùs stultè quàm temeré allegorijs involvunt, per *Semen* posteritatem sive familiam intelli-

telligentes: quibus aperté contradicit Apostolus dicto loco ad Galat. Vbi exsertè & sine figurâ adfirmat, non esse plures Abrahæ filios seu plura semina sed unum Christum. Quando igitur *Christum semen Abrahæ* Scriptura assumere dicit, certé non vult, eum Ismaëlitas, Edomitas cæteroscque ejusdem generis populos corpore & animo assumere: imò neque Isauci posteros viros pariter ac mulieres, pueros & senes eodem modo assumere, sive in gratiam suam recipere, ut impius *Menno* atque *Servetus* commenti sunt cum cætera Anabaptistarum turba. Sed Apostolus ut gratiam amplificet, qua Christus est amplexus humanum genus, Angelos cum hominibus comparat, quòd scilicet prætulerit Angelis homines, hominum naturam induendo. Nam si per *Semen* intelligit posteros, idem & de Angelis fateri cogetur, nempe sobolem ab illis procreari, ac si mentitus esset Christus, dicens *nos Angelis similes fore post resurrectionem. Matth.* 22, 30. Ejusdem farinæ est, quod obtendunt, non aliter vocari *Davidis filium*, nisi quia Davidi promissus fuerat, & suo demum tempore fuit exhibitus. Non enim simpliciter eum *Davidis filium* Apostolus nominat, sed addit, *Secundum carnem*, naturam nimirum ejus humanam designans, *Rom.* 1. 3. Iam nisi verè genitus esset ex semine Davidis, cur *fructus ventris ejus* vocabitur? Quid etiam promissio ista, *Ex lumbis tuis descendet, qui manebit in solio tuo. 2. Samuel.* 7. 12.

Mennonis & Serveti impium commentum.

Matth. 22. 30.

Rom. 1. 3.

2. Sam. 7. 12.

Luc.

Luc. 1.32. 33. *Luc.* 1. 32. 33.

3. Locus ex *cap.* 10. *ad Hebr. vers.* 5. ubi Christus Patri dicit, *Corpus adaptasti mihi*, hûc non facit, sicut patet ex collatione *Psalm.* 40. 7. Unde locus desumtus est, ubi dicitur: *Aurem perforâsti mihi*, hoc est, fecisti me tibi obsequentem instar servi, cujus auris subula perforata est, de quo antiquo Legis ritu vide *Exod.* 21. 6. Quòd si Apostoli vocem urgent, Christoque corpus à Patre aptatum ac paratum dicunt, nihil agunt; quum id per *Ensarkoosin*, id est, per Incarnationem factum sit, eo videl. modo, quem Apostolus *in eâdem Epist. Cap.* 2. 14. 15. 16. *&* 17. expressit. Cui improbè Anabaptistæ obstrepunt, nescientes quando, quomodo & quousque hæc *Katertisis tou soomatos* Christi, quam ajunt, facta sit. Vide *Colloq. Franckenthal. art.* 3. *act.* 8. *Pag. mihi* 159. 160. *&c.* Sic quum *Ioh.* 3. 31. *Christus superné & è cœlo venisse* dicitur, nequaquam de origine carnis sive naturæ ejus humanæ intelligitur, sed de summâ excellentiâ ac summâ authoritate, quâ cæteris antecellit: sicut ex toto contextu ibidem colligitur, in quo Iohannes Baptista cum Christo, missus cum mittente, servus cum domino comparatur. *Christus* igitur *dicitur superné venisse*, tùm quatenus Deus est & ex Deo Patre natus in hunc mundum venit, & hominibus in carne apparuit, tum etiam, quia in eo nihil nisi cæleste ac majestatis plenum cernitur. *Iohannes* verò *exterrâ esse* dicitur, quia tantùm homo est, conditionis suæ memor, dominij jus Christo relinquens, servorum ordini adjungi

Heb. 10. 5. Psal. 40. 7. Exod. 21. 6. Heb. 2. 14. & seqq. Ioh. 3. 31.

ni adjungi deſiderat. Sicut quoque 1. Cor. 15. 47. dicitur *primus homo ex terrâ terrenus, ſecundus homo Dominus è cœlo:* quod non de corporis ſubſtantiâ, ſive de materiâ diverſorum corporum, ſed de habitu vel qualitate intelligendum, pro reſpectu diverſorum ſtatuum eorundem corporum, Chriſtus enim quoad corporis ſubſtantiam non tantum terrenus fuit: ſed etiam ad tempus terrenæ nobiſcum fuit conditionis, infirmatus, defatigatus, eſuriens, ſitiens, plorans, neſciens, mortique denique Obnoxius: nihilominus idem Dominus è cælo fuit., hoc eſt, Deus & Dominus cæleſtis ac immortaljs. Tametſi veró Adamus animam immortalem & minimè ex terra ſumtam habuit, ſapiebat tamen terram, ex qua ortum fuerat corpus, eratque rebus terrenis ac ſublunaribus addictus, & corruptioni obnoxius: ac proinde eadem ratione hoc loco Chriſtus Dominus è cœlo ſive cæleſtis, Adamus vero terrenus appellatur, ſqua antea Chriſtus ſupernè & è cælo, Iohannes vero ex terra veniſſe dicitur. Quod autem *Epheſ.* 4. 9. dicitur Chriſtus *prius deſcendiſſe in inferiores partes terræ:* nequaquam ei contradicit, quod cum carnis & ſanguinis noſtri participem factum dicimus quum id potiùs confirmet. Quis enim iſte, qui deſcendit? niſi æternus ille *Logos* & Filius Dei unigenitus, qui eſt in ſinu Patris. Quomodo autem deſcendit, num corpus aërium cælitùs adferendo, an vero cum divinitate ſua? Illud etiam ab ipſis adverſarijs exploditur: hoc verò abſurdum totum eſt: *quoniam*, ut ſcitè *Bernardus* ait, *deſcendere cum vel* 1. Cor. 15. 47. Epheſ. 4. 9.

aſcendere

ascendere non patiebantur divinitatis suæ simplicitas; quippe quæ nec minui possit nec augeri, aut aliquo modo variari. Itaque (ut addit idem) *assumsit in unitatem suæ personæ naturam nostram, id est, humanam, in quâ descenderet & ascenderet.* Et mox: *Manens quod erat in naturâ suâ descendit & ascendit propter nos in nostra.* Hæc ille, *Serm.* 18. *fol.* 666. Christus igitur descendit, dum naturam nostram induit; *natus ex muliere. Gal.* 4. 4. & *humili formâ servi assumtâ, Patri in eadem obediens factus est ad mortem usque crucis; Philip.* 2. 7. 8. Idem venerandum de cibo Christi *Ioh.* 6. 51. ubi; *panem vivificum esse* testatur, *qui de cœlo descendit, quidque panis ille caro sua sit, quam dat pro mundi vita:* Non enim hîc materiæ Corporis Christi mentio ullâ fit; ut videl. ea cœlestis, aut verò terrena sit; sed de vi & efficacitate mortis Christi in corpore facta, agit sicut etiam de medijs, quibus vitam obtinemus. Christus itaque infirmitati nostræ consulens, fideique nostræ humilem obedientiam probaturis, nobis vitam proponit in eâ videl. carne, ubi sola prius mortis materia erat. Ut verò eâ vitâ frueremur, certè non supra nubes vocatus est, sed in hac carne fuit, in specie infirmâ & contemtibili subsidere jubemur. Nam in eâ [illegible] fuit opus redemtionis nostræ, ea quoque perfecta fuit sanctificatione Spiritus, omnesque vitæ partes in se collocavit, continet, & possidet Agnus ille Dei æternus, qui fons vitæ est, unde per carnem vitam quæ nobis infecta (ut loquimur) in divinitate reddit, ad nos diffundit.

Atque

Atque hoc causa est, quòd *se de vetere descendisse arbore*, ac panis & cibus ille vivificus sit, quum nullibi nisi apud eum & in cœlesti ejus regno spiritualis & incorruptibilis vita reperiatur.

19. Scripturæ à semine David.] Promissio illa exstat 2. *Samuel.* 7. 12. 1. *Paralip.* 22. 10. *Psalm.* 88. 31. 30. & 132. 11. *Esai.* 7. 13. 14. & 11. 1. *Jerem.* 23. 5. *Mich.* 5. 2. *&c.* alibi.

20. Apostolo eradicare carnis nexum à stirpe & semine. PP.] Locus exstat *Rom.* 9. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem* (scripsit ex posteris genitis Israëlicis) *qui est Deus benedictus in secula.* Rom. 9. 5.

Est verò locus hic plaecharus, si quisquis alius de Christi *Theanthropo* personâ, eos plenè & distinctè erudiens. Docet enim ex Christi Dei verum & æternum esse super omnia benedictum in sæcula. Tum eundè quoque verum esse hominem, carne & anima humana præditum, Iudæis majoribus secundùm carnem progenitum: tum denique duabus subsistere naturis veris, distinctis, hypostaticè unitis, divinæ & humanæ, quia idem ex patribus orpus, qui & Deus benedictus in sæcula.

Doctrina de Persona Christi summa.

20. Vi omnem fiduciam salutis tollunt.] Vnde verò hæc tam pestilens opinio? Inde videlicet, quòd fidutiæ regenerari Dei populum in suscepto Baptismi in puram & angelicam vitam; quam mollis carnis fomitem vincunt; videri ad si quis post Baptismum sceleratum delinquat, nihil prorsus irrevocabile Dei judicium illi relinquant, neque adeò peccatori post acceptam gratiam ipso non esse amplius veniæ spem ullam

Anabaptistæ Monasterienses.

blandiantur.

blaterant. Quo errore *Novatiani* sive *Cathari* olim Ecclesias exagitarunt, qui sic ab authoribus *Novatiano & Novato*, illo Romano, hoc Carthaginensi Presbuteris, dicti sunt, sub Impp. Valeriano & Gallieno Hostilio. Ad quem crassum errorem discutiendum, breviter tenendum, quòd istud eorum facinus reverà nihil aliud sit, nisi *Theomachein*. Eo enim ex diametro repugnant tum naturæ, tùm voluntati Dei. Naturæ inquam, Dei; qui *misericors, clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax est, custodiens misericordiam in millia & auferens iniquitatem ac scelera.* Exod. 34. 6. 7. Imò *quia misericordiam diligit, transire dicitur super scelera erga reliquias hæreditatis suæ*, ac si illa conspectum ejus fugerent; *neque retinere in perpetuum iram suam.* Mich. 7. 18. breviter, *Multus dicitur ad remittendum.* Esai. 55. 7. & quòd *multa apud eum sit remissio.* Psalm. 130. 7. *iraque momentanea.* Psalm. 30. 6. Sicut ipse jurejurando testatur: *Vivo ego*, inquiens, *non delector morte improbi: sed delector, quum revertitur improbus à viâ suâ, ut vivat.* Ezech. 33. 11. Item, *Quâcunque horâ peccator gemens pœnitentiam egerit, non amplius recordabor peccatorum ejus.* Ibidem cap. 18. 21. Denique, *Quis est vir*, inquid apud Ieremiam, *cujus si uxor, corpus suum adulterii prostituerit, cum eâ redire in gratiam sustineat? Tuis autem scortationibus omnes viæ pollutæ sunt Iuda; repleta fuit terra fœdis amoribus tuis. Revertere tamen ad me, & ego te suscipiam. Revertere aversatrix, non avertam à te faciem meam: quia clemens sum, & non irascor in perpetuum.*

Exod. 34. 6. 7.
Mich. 7. 18
Esai. 55. 7.
Psal. 130. 7.
Psal. 30. 6.
Ezech. 33. 11.
Ibid. 18. 21
Ierem. 3. 1. 12.

Ierem.

Ierem. 3. 12. Quod si vero hæc in Veteri Testamento assiduè Sanctis parata fuit Dei indulgentia, in peccatis condonandis; cur eam nunc, adventu Christi, quo plenitudo gratiæ exserta fuit, è medio sublatam isti dicent? quasi Christus in nostram perniciem, & non in salutem, venisset. Contra quod Apostolus disertè clamat, *in Christo* demùm *bonitatem & Philanthroopian Domini ad plenum apparuisse. Tit.* 3. 4. *& divitias gratiæ ejus in nos exundâsse ad remissionem peccatorum Ephes.* 1, 7. 8. Sicut ipse quoque Christus tùm exsertis verbis, tùm jucundis parabolis, de se testatur, quòd *non venerit, ut vocaret justos, sed peccatores ad resipiscentiam, Matth.* 9. 13. *Luc.* 15. 4. 8. 11. Hinc universalis fidelium vox est: *Omninò propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Iesu, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas, Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, nom persequutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odorem horum currimus:* præcinente sic *Bernardo, Serm.* 22. *super Cantic. Tom.* 1. *fol.* 836. Repugnant etiam adversarij hac morositate suâ voluntati Dei, *quâ misericordiam sacrificijs præfert. Oseæ.* 6. 6. Unde peccatorum confessionem à Sanctis, & eam quidem assiduam, totâ vitâ requirit Dominus, *Psal.* 32. 6. jubens, ut quotidiè repetant hanc

Tit. 3. 4.

Ephes. 1. 7. 8.

Matth. 9. 13. Luc. 15. 4. 8. 11.

Bernard. Sermon. 22. super Cantic. fol. 836.

Oseæ 6. 6.

Psal. 32. 6.

precem, *Remitte nobis debita nostra*, sub fiducia exauditionis. *Matth.* 6. 12. 14. quâ Apostolus Iacobus infirmos quoque erigit, dum eos ad mutuam precationem & confessionem hortatur: *Oratio fidei* (inquit) *servabit ægrotum, erigetque eum Dominus: & si peccata admiserit, remittentur ei: Confitemini igitur invicem peccata vestra, & orate invicem alij pro alijs, ut sani sitis.* Iac. 5. 15. 16. Imò hanc ob causam *Legationem reconciliationis apud* Ecclesiæ *ministros Dominum deposuisse* testatur Doctor gentium, *ut subinde populum nomine Christi exhortentur ad se reconciliandum Deo.* 2. *Cor.* 5. 20. qui non semel aut bis, sed quoties delictorum agnitione consternati, ad eum suspiramus, ideo nobis condonare solet, ut clementiam suam, ejus exemplo illecti, imitemur, *septuagesiesque septies* si opus sit, proximo *condonemus?* *Matth.* 18. 22.

Matth. 6. 12. 14.

Iac. 5. 15. 16.

2. Cor. 5. 20.

Matth. 18. 22.

22. *Locos é Paulo ad Hebræos detorquent*] Loci hi exstant in *Epistolâ ad Hebræos*, *Cap.* 6. 4. 5, 6. *& cap.* 10, 26, ubi Apostolus *fieri non posse* docet, *eos qui semel illuminati fuerint, gustaverintque donum illud cæleste & participes fuerint Spiritus Sancti, gustaverintque bonum Dei verbum, virtutesque venturi sæculi*: si prolabantur, *denuò renovari ad resipiscentiam; ut qui rursum crucifigant sibi Filium Dei, & ad ignominiam exponant.* Item, *Si ultro peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non amplius pro peccatis reliquam esse hostiam: sed horrendam quandam exspectationē judicij & ignis fervorem, qui*

Heb. 6. 4. 5. 6. & 10. 26.

qui devoraturus ſit adverſarios. Hæc Apoſtolus: quibus certè minimé, ut hi rigidi Catones volunt, quibuſvis voluntarie peccantibus ſpem veniæ præcidit, ſed perfidis ac impuris apoſtatis, qui nullo periculo cogente, petulanter, *Ekousioos* à fide Chriſti defecerunt, & in totum Chriſto renuntiârunt. Quum enim hi in Spiritum S. peccent, peccatum eorum, ipſo Chriſto ajente, irremiſſibile eſt. *Matth.* 12, 31. ipſiſque Dei Spiritu privati, ut merentur, conjiciuntur in ſenſum reprobum, ut diabolo mancipati ruere in exitium ſuum pergant. Quod verò Apoſtolus non agat de quolibet lapſu ſive peccato, quo quis vel ſecundam legis tabulam violat, vel primam ignoranter tranſgreditur; ex eo liquet, quòd *impoſſibile* dicit *eſſe prolapſos reſipiſcere*: quum nullius peccati pœnitentia impoſſibilis ſit, niſi peccati in Spiritum Sanctum, quod Iohannes *Peccatum ad mortem* vocat, *pro quo non ſit orandum*, 1. *Ioh.* 5. 16. Ex quo rectè infertur, iſtud quo dicitur, non poſſe Apoſtatas renovare ſe, vel renovari ad pœnitentiam, non eſſe communem pœnam infidelium, ſed propriam Apoſtatarum: quum illi non agant pœnitentiam, iſti ne poſſint quidem: quum malitioſe abjiciant & blaſphement id, per quod reſipiſcere & ſervari neceſſe eſt quotquot reſipiſcunt & ſervantur; nempe Chriſtum crucifixum.

Perfidorũ Apoſtatarum pœna.

Matth. 12. 31.

1. Ioh. 5. 16.

23. *Servos non niſi retinctis ſervire*] Geneſ. 12. 2. primùm fit *Servitutis* mentio, ubi de Abramo dicitur, quòd tulerit inter cætera, etiam animas, quas ſibi acquiſierat in Charan

Servitus quando cœpit. Geneſ. 12. 2

& egressus sit, ut purgeret in terram Chanaan. Vnde apparet, non multo pôst diluvium malitiâ hominum accidisse, ut libertas, quæ naturâ communis erat omnibus, bonæ parti humani generis periret. Vnde autem habuerit initium Servitus, non facile dictu est, nisi quod vulgo obtinuit opinio, à bellis ortam esse: quia victores quos bello ceperant, sibi parere coëgerint atque inde nomen *mancipij* deducunt. Sive autem belli jure oppressi fuerint, sive inopiâ coacti, qui primi servitutem serviverunt, hoc quidem certum est, violenter fuisse corruptum naturæ ordinem: quia ideó creati erant homines, ut mutuam inter se societatem colerent. Etsi autem alij alios præesse utile est, servanda tamen erat, ut inter fratres, æquabilitas. Cæterùm quamvis recto temperamento, quale optandum esset, contraria sit servitus, & ejus initium vitio non caruerit: non propterea sequitur, usum, qui deinde moribus receptus est, quem excusat necessitas, esse illicitum. Vulgare enim illud dictum, *quod ab initio non valuit, tractu temporis convalescere non potest*, aliquas (ut satis notum est) exceptiones admittit, & ejus rei exempla in Sacris literis passim occurrunt. Fanatici vero isti imperitè horum conditionem cum Christiana (quam somniabant) libertate pugnare persuasi erant, manumissionem nescio quam ab omni Servitute suis promittentes. Quo plausibili dogmate multos in nassam suam pellexerunt, quibus jugum tyrannisque plus quàm Phalarica dominorum suorum exosa jam tum erat.

Servitus usus haud illicitus.

Non pugnat cum libertate Christianâ

Sed

Sed probè contra hos tenendum, à Deo nèquaquam ordinem politicum improbari, utpote cujus providentiâ tùm distincti in mundo gradus & ordines sunt instituti, tum ipsorum observatio in ejus verbo accuratè præcipitur. Hinc Petrus *Servos in hoc vocatos esse* ait, utique à Deo, *ut* videl. *subjecti sunt cum omni timore dominis suis, non solùm bonis, sed etiam pravis.* 1. Pet. 2. 18. 21. & Paulus jubet, *ut unusquisque in quâ vocatione fuit vocatus, maneat sive sit servus, sive liber.* 1. Cor. 7, 20, 21. Sic passim idem Apostolus in epistolis suis Servos non ad pileum vocat, nec dominos illorum usu privat; sed tantum benignè & liberaliter tanquam conservos suos jubet tractari. *Ephes.* 6. 9. *Coloss.* 4. 1. Qui etiam Servum Onesimum Philemoni remittit, & pro ipso deprecatur. *Philem. vers.* 10. quod non faceret, si Servitutis usus per se res illicita esset. Sic etiam Hagar ancilla Saræ fugitiva ab Angelo ad pristinam conditionem revocatur. *Genes.* 16. 9. *Revertere*, ait, *ad dominam tuam & humiliare sub manibus ejus.* Quare graviter utrinque delictum fuit, tùm à Seductoribus Anabaptistis, qui Servos à dominis suis abducendo plagio se obnoxios fecerunt, contra quod Dominus præcipit, *ne* scil. *concupiscamus Servum aut ancillam proximi nostri, Exod.* 20. 17. & *Deut.* 5. 21. tùm à servis fugitivis, subjectionem & servitia dominis suis denegantibus, contra mandatum Domini. *Ephes.* 6. 5. *Coloss.* 3. 22. & *Tit.* 2, 9. & cæt. Quòd autem 1. *Cor.* 7. 23. præcipitur, *ne servi hominum fiamus*, id modò-dictis non contradicit: quum

1. Pet, 2. 18 21.

1 Cor. 7. 20. 21.

Ephes. 6. 9. Coloss. 4, 1

Philem. vers. 10.

Genes. 16. 9.

Exod. 20. 17.

Deut 5. 21.

Ephes 6 5. Coloss 3, 22.

Tit 2. 9.

1. Co. 7. 23

isthic non quævis, sed spiritualis servitus solùm prohibeatur, ne in hominum gratiam nos profanemus, eorum pravis ac perversis desideriis nos addicentes. Ratio hujus ibidem additur, quod *emti simus* & quidem *incomparabili pretio*, nempe *Christi sanguine*, cujus proprij simus & ad obediendum ei in perpetuum obligati. Isto enim modo *qui in Domino Servus vocatus est, libertus quoque Domini est*, ut ibidem *vers.* 22. præmittitur. Præterea insulsi hi nebulones, dum *Servos nonnisi retinctis*, hoc est, sibi *servire servitutem* voluere, se humano consortio exemerunt. Angelicos ac Seraphicos fortè sese venditantes, quibus videl. servire, secundum ipsos libertas sit. Ait merito hæc insania cum suis authoribus explosa fuit.

Ibid. vers. 22.

23. *A Nobilibus passim truculentius habiti*] Truculenta tyrannis plerorumque Nobilium adversum Servos ac subditos suos in multis Germaniæ oris jam pridem nobilitata fuit, sic ut *Iohannes Boëmus in Historiar. suarum lib. tertio. pag.* 93. sic de ijs scribere non sit subveritus: *Gens superba, inquieta, avara, Ecclesiæ prælatis & eorum bonis insidians semper: subditos rusticos irremissâ servitute exercet: incredibile dictu, quantum miseros & infælices homines vexet, quantum exsugat.* Quibus mox idem subjungit, scribens: *Esset Germania nostra ter quaterque fælix, si Centauri isti, Dionysij & Phalarides aut ejicerentur, aut saltem ipsorum tyrannide refrænatâ & potestate diminutâ, privatim, quemadmodum in Helvetiâ, Nobiles vivere cogerentur.* Hæc ille. Quæ tamen omnia cum grano salis à benignis

Ioh Boëmus histor. lib. 3. pag. 93.

à benignis ac ingenuis accipienda ſunt, quos Deus ad Nobilitatis gradum gratiâ ſuâ evexit, quoſve Pietas & Virtus ſua nobilitavit.

CAP. VII.

HAbes præcipua fidei dogmata horum Apoſtolorum & Profeſſionem, quâ illorum myſteriis initiandi adſtringuntur. Indies tamen ejuſdem monetæ figuntur ac reſiguntur 1, *Nomothetæ illius* Pſeudoprophætou *arbitrio* 2. *novæ Epinomides; adeò ut nihil penè veterum & quantumvis exſecrabilium hæreſium ſit, quod ab illis non revocetur. Vulgus autem incautum & ad quemvis ventum mobile, & novitate rei familiaris, Democratiæ ac licentiæ compendio provocatum, ad libertatem facultatumque communionem vocari ſe ratum, mox exutum proprijs Oligarchiâ & tyrannide plus quàm Phalaricâ conſtringitur:* 3. *Et Nemeſin Epiſcopi, hoc eſt,* 4. *inſtar ranarum trabis imperium detrectantes, ciconiam, dignum patellâ operculum, nanciſcuntur, nempe Pſeudoprophetam ſeu Impoſtorum aliquem: quem ipſi* 5. *Eliam in Scripturis promiſſum ſomniant, cui Pater Spiritum fatidicum dederit voluntatiſque divinæ ſcilicet conſiliarium fecerit. Ejus oracula non dubitant Eſajæ*

varicinij aquare, ajentes, 6. hunc esse, de quo Scriptura; Vox clamantis in deserto: Et 7. perinde atque Mahometh comitiali morbo correptus fingebat, secum Domino loqui: ita hic squalidus subinde in compita & plateas prosiliens pronusque in lutum vanciens 8. vaticinabatur: Pœnitentiam committorum agite; jam enim instat regnum Dei: audiens, dum illum extremum invitaret, quo Dominus mundum affligere velit, 9. neque superesse aliquem salutem, nisi in hac tam sanctâ civitate, quæ 10. novæ sit Hierusalem, de quâ in Apocalypsi, in quâ omnium pusillus ille quis servandus sit: jam inde à temporibus Apostolorum nullum fuisse genuinum ac verum Christianum, Petro 11. ad fidem veritatis pervenisse intuendum stupida populi, 12. cum blasphemiarum visionis, nempe 13. Patrem hujus cum Filio, plurium capita vivi draconis, super urbem impiam ejus tyrannique gladium vibrantem conspici; nubes sanguineas pluere, solem plures effingere in cœli extremi temporis præsentia effectus prodigia. Ac postremo, ipsum indicem mox ad judicium ex divina evocandum, ut hac magis formidine pavidum vanciquos populum. Quæ omnia exaggerata per epistolas 14. ac

amissa-

quisquis vis Propheta, ut quique suis possim
annuntiarent; horrear obtestatusque: ad
hunc hujus potissimi temporis sacrum arcum
properent viri, mulieres, juvenesque senesque
quò; neque hoc salutis receptaculum gra-
tuitò exhibitum interpretari sinant, si modo
ingruentem atque inevitabilem Dei iram
effugere cupient: abundè in hac civitate sup-
peditari à Patre omnia, solùm quantum
gladiorum, pecuniæ, lanceæque colligere que-
ant, apportent. Si quis hac admonitione spre-
tâ properare huc neglexerit, in 35. hos pul-
verem se pedum excutere, segregatosque ab
omni salutis spe trudere condemnat. In hanc
sententiam quadam per edictalem epistolam
Prophetæ ad Hollandiæ et Frisiæ civitates
scripta legimus ipsi, missoque exemplari à Frisiæ
Præside 16. Georgio Schenckio. Vidimus
& alterum ad suos quosque amicos; adeoque
hoc novum Evangelium per omnes undique
regiones perverbum, ut nullæ civitates, nullus
vicus sit, quem non perstrinxerit hic propheta-
rum Enthusiasmos, ad quem vulgus obe-
quit aures arrigere misso ad dari cepit ad fu-
rere, clanculariis usi itineris conventus ac
conspirationis. Condictum erat, locus vero
procul à Daventriâ, quo non minus triginta
millia se sistere ad præfinitum tempus deo
everant. Paulo post [illegible]

Nam ad Adscensionis festum mundum interiturum vaticinati fuerant. Numerosa præterea classis in procinctu fuit ingentis turbæ è maritimis Hollandiæ Flandriaque regionibus contracta: 17. nisi Dominus illorum consilia infatuâsset, & indicio proditi captique fuissent, orbem tumultu accædibus miscuissent.

Hypomnemata & Notæ.

1. NOmothetæ *illius* Pseudoprophætou *arbitrio*] Is *Iohannes Becoldus Leidensis fuit*, superiorum Legum Anabaptisticarum lator, de quo in præcedentibus dictum.

2. *Notæ Epinomides*] *Epinomis* à voce *Nomos*, id est, Lex descendit, quasi Appendices Legum dicas. Prophetæ enim huic è re suæ novæ Reipublicæ visum, antiquatis Legibus antiquis novas subrogare, harumque numerum indies augere. Ad quas quoque referuntur 28. illæ Leges, quas infra subjiciam. Verum in benè constitutis Rebuspublicis Leges non facilè mutandas experientia evincit; quum omnis mutatio sit periculosa: siquidem qui Leges mutat, quasi morbos curare volens alios excitat; aut quasi hydræ capita resecat, ut *Plato lib. 4. de Legib.* cavit. Quod quoque de Legum multitudine tenendum, è quâ idem *Plato* perniciem Reip. oriri censuit: quare leges sint paucæ in Reip, ne ex earum numero quotidie crescente, mala hujus administratio colligatur. Legum enim

Leges in Rebusp. non facilè mutandæ.

Plato lib. 4 de Legib.

Leges haud multiplicari debent.

enim *onultitudinem indicium malè administratæ Reipublicæ* dixit *Iſocrates*: quemadmodum *ubi multi medici, ibi & morbos multos eſſe, Archelaus* affirmavit.

3. *Et Nemeſin Epiſcopi*] Id eſt, adminiſtrationem ſive ſeveriorem inſpectionem Epiſcopi ſui. *Nemeſin* enim poëtæ Deam Ioviſque filiam finxerunt, quæ inſolentiæ & arrogantiæ vindex ſit. Hanc *Plato*, (referente *Ioh. Raviſio Textore*) dixit eſſe divini Iudicij angelum, hunćque præeſſe nobis velut Iudicis ſuperioris vicarium, qui à turpibus deterreat, honeſtorum ac virtutis amorem conciliet, obſequenteſque illectationibus ſuis blandè, contineat, obluctantes verò aſſiduis territet turbinibus, variéque diſtorqueat. Hoc optimè in pium magiſtratum competit, juxta illud: *Magiſtratus non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non terreri poteſtate? quod bonum eſt facito, & laudem ab ipſâ obtinebis: nam Dei miniſter eſt tuo bono. Quòd ſi feceris, quod malum eſt, metue: non enim fruſtra gladium geſtat. Nam Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt, fecerit*, Rom. 13. 3. 4.

Nemeſis quid ſit juxta poëtas. Ioh Raviſius in Epithetis. pag. mihi 562.

Rom. 13. 3. 4.

4. *Inſter ranarum trabis imperium detrectantes*] Notus eſt Apologus Æſopi de Ranis & earum Rege; ad quam Hereſbachius meus alludit; nempe gens ranarum quum eſſet libera, Iovi ſupplicabat ſibi dari regem. Ridere Iupiter vota ranarum, illæ tamen iterum atque iterum inſtare, donec ipſum perpellerent. Dejicit ille trabem. Ea moles ingenti fragore quaſſat fluvium: Territæ ſilent

Apologus Æſopi de Ranis & earum rege.

silent rane, regem venerantur. Accedunt pedetentim propius: Tandem abjecto metu, insultant & desultant, Iners rex lusus est & contemtui: Lacessunt, rursum Iovem orant regem dari, qui strenuus sit. Dat Iupiter Ciconiam, Is perstrenuè perambulans, paludem, quicquid ranarum obviam fit, vorat. De hujus igitur sævitia ranæ frustra quæstæ sunt, Iupiter non audit. Nam & hodie adhuc queruntur. Vesperi enim Ciconiâ cubitum eunte, ex antris egressæ rauco ululatu murmurant, sed surdo canunt. Vult enim Iupiter, ut quæ regem clementem sint deprecatæ, jam ferant inclementem. Cujus lepidissimæ fabulæ ista est significatio: Perinde atque ranis, evenire solet plebi, quæ si regem vel principem Paulò mansuetiorem habet, ignavum inertemque esse causatur, optatque aliquando contingere sibi virum. Contrà, si quando nacta est regem ac principem strenuum, hujus sævitiam damnat, & prioris laudat Clementiam: Sive quòd semper Presentium nos pœnitet, sive quòd verùm est verbum: *Nova veteribus non esse potiora.*

Apologistus significatio.

5. *Heliam in Scripturis promissum*] videl. apud Prophetam *Maleachi*, *cap.* 4. 5. ubi Deus ait: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Eliam verò istum non alium quàm Iohannem Baptistam esse, ipse Christus disertè testatur, *Matt.* 11. 13. 14. *&* 17. 12. Insulsè igitur fanatici in impurum scurram & pediculosum Sartorem istum Leidensem istud dictum detorserunt.

Mal. 4. 5. Matth. 11. 13. 14. & 17. 12.

Ioh. B. Leidensis Eliam se dixit in S. literis promissum.

Vnde

Vnde etiam (ut id obiter moneam) redarguitur vana Papiſtarum opinio de Eliâ Theſbitâ adhuc venturo ante Antichriſtum. Quum Chriſtus prædictis in locis exſertè dicat, Eliam jam tunc veniſſe & Apoſtoli intellexerint oraculum Malachiæ non de Theſbita, ſed de Baptiſta accipiendum eſſe. Ita enim angelus Zachariæ interpretatur, *Luc.* 1. 17. *Ipſe præcedet in conſpectu ejus, cum Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios & cæt.* Contra id objiciunt adverſarij; Eliam ex oraculo Malachiæ venturum ante extremum Chriſti adventum, quia dicitur: *Mitto eum, antequam veniet dies Domini magnus & terribilis.* Sed per *diem magnum & terribilem* non intelligit diem noviſſimum, ſed diem incarnati Meſſiæ: quia etiam primus Chriſti adventus fuit magnus myſterio incarnationis & miraculis terribilis: ut oſtendit terror Herodis atque Iudæorum. *Matth.* 2. 3. Patet ex collatione *cap.* 3. ejuſdem Prophetæ, ubi *verſ.* 1. ſimiliter dicitur: *Ecce ego miſſurus ſum legatum meum, qui expediat viam ante me; & repentè veniet in templum ſuum Dominus.* Quod de Baptiſta Chriſti præcurſore dictum eſt. Ibidem verò *verſ.* 2. adventum primùm Chriſti vocat etiam terribilem: *Quis*, inquit, *ſuſtineat diem adventus ejus? aut quis conſiſtat, quum apparuerit?* Sed eſto: etiam Iohannes venit ante diem judicij. Nec dicit Malachias preciſè tribus & dimidio annis ante Iudicum Eliam venturum: ſicut pars adverſa frivolè & abſque probatione nugatur. Illorum ſiquidem figmento Chriſtus exſertè contradicit, quum apud Matthæum

Papiſtarum opinio de Eliâ Theſbitâ ante Antechriſtum venturo refutatur.

Luc. 1. 17.

Obj.

Matt. 2. 3.

Mal. 3. 1. 2.

Matthæum dicit, *Eliam tum venisse, & Iohannem Baptistam Eliam illum esse.* Quod præcessit, *Elias quidem prius veniet & restituet omnia*, non ponit fabulam, sed assumit Malachiæ oraculum, omninò debuisse juxta illud Eliam venire: jam autem venisse & oraculum impletum esse in Baptistâ. Excipiunt. Non esse contradictionem: quia veniet Elias Thesbites: & jam venit Elias Baptista. Sed falsum est, Malachiam, vel Christum facere duos Eliast Imò non nisi de uno loquuntur. In quo errore quoque hæret D. *Iohannes Affelmannus* Rostochiensis Theologus, dum *in Disputat. de Philipismo fugiendo*, parum humanâ, demonstrare nititur, Christum dictoloco apud Matthæum de gemino loqui Eliâ post Thesbitam illum, nempe de Iohanne Baptistâ & D. Luthero: *Anne absurdum est* (inquit) *Tertium statuere Eliam post primum Thesbiten, & secundum, Iohannem Baptistam? Non ita. Quid enim* (addit) *si in sacris Eliam Tertium* (Lutherum) *nominari demonstravero? Ita certè existimo. Nam Matth. 17. si attentè textum consideres, de Gemino Eliâ Christum loqui, de futuro tertio; & præterito, secundo, videbis. Quærunt enim discipuli, vers. 10.* Cur Scribæ dicant, Eliam oportere venire priùs? *Ad hanc quæstionem ille respondet: vers. 11.* Elias quidem veniet priùs & restituet omnia. *En habes promissionem & vaticinium de Eliâ futuro tertio* (Luthero) *cujus proprium erat restituere omnia. Sequitur de Eliâ præterito, vers. 12.* Verùm dico vobis, Eliam venisse, *En habes*

Obj.

R.

Ioh. Affelmanni opinio de tertio Eliâ post primum venturo enervati.

Matth. 17. 10. 11. 12.

quoque

quoque Eliam ſecundum, Iohannem Baptiſtam, Hæc ille, Sed falſam contortamque interpretationem illam non minùs quàm Anabaptiſtarum ac Papiſtarum eſſe, ex dictis facilè conſtat, Non igitur *Tò Venit* & *Tò Veniet* inferunt geminum Eliam. Elias, inquit Chriſtus, veniet, id eſt, Malachias non falsò dixit, Eliam venturum. *Veniet* igitur, reſpicit tempus vaticinij. Elias, ſubjicit Chriſtus, venit, id eſt, Completum eſt vaticinium hoc in Iohanne Bapiſtâ veniente in Spiritu & virtute Eliæ. *Veniet* igitur reſpicit tempus *Ekbantos* ſeu eventûs ac rei geſtę. Quando igitur ſic argumentatur Affelmannus: Qui nondum venit, ſeu qui veniet, & qui venit, non eſt idem numero. Elias, de quo Chriſtus loquitur, eſt qui veniet, & qui venit. Ergo Elias, de quo Chriſtus loquitur, non eſt idem numero, ſed alius atque alius: fallacem omnino Propoſitionem ponit. Quemadmodum enim Filius Dei venturus in carne, & qui venit in carne, Chriſtus qui naſciturus erat & qui natus eſt, idem ad numerum eſt: Ita Elias, qui veniet, & qui venit, idem numero eſt, nempe unus Iohannes Baptiſta. Si diceret Chriſtus: Elias quidem venturus eſt, ut Scribæ affirmant ex Prophetiâ vatis Maleachi; ſed ante hunc veniet Iohannes: tùm aliquid coloris haberet ſententiâ Affelmanni. Sed hoc Chriſtus non dicit, ut qui teſtimonium Prophetæ de venturo Eliâ Iohanne Baptiſtâ eventu ipſo, quod jam venerit, confirmet. Nec poteſt alter ab illo eſſe Lutherus: quia loquitur Euangeliſta de Eliâ Præcurſore primi adventus

Lutherus an Elias ille apud Prophetam Maleachi promiſſis.

ventus Christi, ut proxime ostendi, non autem secundi ad Iudicium universale. Lutherus autem longo intervallo post illum adventum sequutus est. Rectè ajunt Scribæ ex Malachiâ, fore ut veniat Elias antequam regnum suum Messias incipiat. Is igitur Elias non potest esse Lutherus, qui venit post Christum. Sed contravenit & concludit Affelmannus nimis audacter: Qui restituet omnia, est Elias qui veniet. Lutheri proprium est restituere omnia, Ergo Lutherus est Elias, qui veniet. Minor falsa est: Nam quod tribuit Ioh. Baptistæ Scriptura, hoc tribuit Affelmannus Luthero. Et res ipsa loquitur, Lutherum non restituisse omnia, etsi illustre lumen fuit Ecclesiæ & doctrinæ cælestis repurgator. Ac repurgationis quidem & instaurationis principium Deus fecit per Lutherum, sed non solum, quod *Mnæmeia* historica ostendunt. Quid vis amplius? In officio quidem reformationis Ecclesiæ Lutherus etiam conferri potest cum Eliâ, qui sustulit cultum Baalis; sicut & cum Baptistâ, qui Prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum populum Iudaicum revocabat ab erroribus Pharisaicis ad Christum. Sed neque Eliæ, neque Baptistæ restitutio fuit perfecta. Sic neque Lutheri, qui vel ipse hominem se esse, & nihil humani à se alienum, agnovit. Sed hæc obiter ad verum dicti Malachiæ intellectum investigandum sufficiant modò.

Obj.

Rx.

6. *Hunc esse de quo Scriptura: Vox clamantis*] Dictum id habetur apud *Esajam, cap.* 40. 3. & in N. Testamento subinde repetitur. Id verò

cum

cum Anabaptistis torquere, impudentia insignis est: quum Iohannes Baptista de se istud interpretetur, inquiens: Ego *sum vox illa clamantis in deserto. Ioh.* 1, 23. Ita Matthæus: *Hic* sc. Iohannes Baptista *est ille, de quo dictum est per Esajam Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini* & cætera. *Matth.* 3. 3. Sic igitur propriè *Vox illa clamantis in deserto* Baptista fuit prædicans resipiscentiam in deserto: Dominus verò ille, cui viæ per resipiscentiam parandæ erant, erat Messias exhibitus.

Ioh. B. Leidensis an vox illa clamantis sit, de quâ Esajas prædixit. Esai. 40. 3. Ioh. 1. 23. Matth. 3. 3.

7. *Perinde atque Mahometh.*] De hoc consule quæ nuper *cap.* 3, *num.* 10. protuli. In tales Impostores competit illud Apostoli ad *Coloss.* 2. 18. *quòd sint* Katabrabeutai, hoc est, *malitiosi inversores palmæ sive premij piorum, quibus* nempe *palmam intervertere datâ operâ laborant per humilitatem & superstitionem angelorum* (quâ scil. angelos sibi esse familiares & ab ijs se edoceri mentiuntur) *In his quæ non viderunt fastuosi incedentes, & carnis suæ sensu temerè turgentes.* Consule *Bullingerum adversus Anabaptistas, lib.* 1, *Cap.* 2, *pag.* 3. *b. &c.*

Coloss. 2, 18.

8. *Vociferatur Pœnitentiam agite*] Et hoc quidem *speciem sapientiæ* habet, ut Apostolus *ibid. vers.* 23. loquitur: sed ut ex hac totâ Anabaptisticâ factione constat, revera nil nisi melote seu vestis ovilla fuit, sub quâ eorum hæresis ac hypocrisis delituit. Dicunt illi, *instare regnum Dei*, sed regnum istud suum Monasteriense intelligunt, in quo Iohannes Becoldus Rex

Ibid. 23.

Impostura Anabaptistarum Monasteriensium.

& Deus è pediculoso Sartore factus imperium tenet. Clamant *instare diem Domini*, sed non cum Christo, Paulo, Petro, Iuda cęterisque Apostolis, sed prout ex Enthusiasmis & afflatibus nescio quibus, tùm fortè edocti erant, ut tempus & horam ipsam qua Dominus venturus esset, temerarij denotarent; sicut frequenter sub initio Anabaptismi accidit. Hinc (ut refert *Bullingerus lib. 2. cap. 1. adversus Anabapt. Pag. 34.*) tanquam furiosi circumcurrebant & per plateas clamabant; *Dies Domini, Dies Domini: Annunciamus vobis diem Domini.* Sic non procul à Wittenberga (si fas est credere *Stanislao Hosio in lib. de Sect. & hæresib. Pag. 47. b.*) multi coloni hisce clamoribus eo adducti fuerunt, ut ab omni opere rustico cessarent, horam illam exspectantes: quumque frustrati exspectatione sua fuissent, in discrimen veniebant, ne fame morerentur; quòd quum nihil seminassent nihil erat, quod meterent.

Hosius lib. de Sect. & hæresib. pag. 47. b.

9. *Neque salutem uspiam superesse*] Hoc clamore suo fanatici isti luculenter probârunt, sese de numero eorum esse, de quibus Christus predixit, quòd redemtionis gratiam per universum orbem expansam, uno aliquo, in angulo includere tentent, dicentes: *Ecce hic, ecce illic est Christus: ecce in deserto, ecce in penetralibus est, &c. Matth. 24. 23, 26. Luc. 17, 23, &c.*

Matth. 24. 23. 26. Luc. 17. 23.

10. *Nova sit Hierusalem de qua in Apocalipsi*] Vide *Apocal. 21, 2.* & seqq.

Apoc. 21. 2

11. *Porrò ad fidem emerendam*] Omni si quidem

quidem ex parte in ſe competere illud oſtendere debuerunt, quod de Pſeudo-Chriſtis & falſis Prophetis Chriſtus in locis allegatis ait, *eos daturos ſigna magna & prodigia, ad fallendum (ſi fieri poſſit) electos*: ſicut etiam Apoſtolus docet, Antichriſti *adventum eſſe ſecundum operationem Satanæ, in omni potentiâ & ſignis & prodigijs mendacibus.* 2. *Theſſ.* 2. 9. ubi quoque Pauló poſt ejuſmodi hominum furorem *Operationem Impoſturæ* idem vocat, qua nempe ſtupidis imponunt eoſque ſibi devotos reddunt. Sicut hodiè quoque circumforanei errones non pauci in Rep. tolerantur, qui in hac impoſtorum Scholâ edocti, cantilenis & narrationculis ad emungendam pecuniam fictis, talia ſigna & prodigia comminiſci ſolent. Quæ ars non ſolùm Mahumæto, ſed etiam multis impoſtoribus in Papatu propria fuit. Alius namque ficta exſtaſi vidit animas quaſdam in Purgatorio, petentes auxilium & ſuffragia Viventium per Miſſas, Eleemoſynas ac Peregrinationes nomine earum inſtituendas: alius verò in exſtaſi ſua. Monachorum varia inſtituta ſpectavit, quæ deinde quaſi divinitus revelata docebat: ſicut ex eorum hiſtorijs Eccleſiaſticis & aureis Legendis, ut vocant, prolixè conſtat.

Antichriſti adventus.

2. Theſſ. 2. 9.

12. *Comminiſcuntur viſiones*] Imprimis verò *Iohannes Leidenſis*: de cujus Impoſtura ſic *Sleidanus lib.* 10. meminit, quòd Vrbe obſeſſa ad quietem ſe compoſuerit, & totum triduum ſomniarit, poſteaque expergefactus nullum verbum

Impoſtores Monaſterienſes.

bum fecerit, sed alterum Zachariam se simulans, chartam ad somnia sua describenda, tanquam è cælo profecta, poposcerit; sine dubio blaterans cum Pseudo-prophetis illis, qui ajunt: *Somniavi, Somniavi:* In quos graviter Deus invehitur. *Ierem. 23. 25. 26.* Huic Successit alius Propheta aurifaber *Iohannes Tuiscoschurerius Warendorpio* oriundus. Is convocatâ in forum multitudine, magna mira, quæ sibi revelata sint, commemorat. Idem Pistor ille Batavus *Iohannes Matthiæ*, *Bernardus Cnipperdolingus*, *Henricus Hilversum* alijque fecêre: de quibus nuper ad *Cap. 3. not. 15.* quædam submonui.

Ierem. 23. 25. 26.

13. *Patrem equo cataphractum*] Id tum *Sleidanus*, tùm *L. Hortensius*, tûm quoque *Bullingerus* & *Guido de Bres* silentio prætereunt.

14. *Per emissarios*] Rex Sartorius enim quum ex novo quodam Prophetâ, scil. *Henrico Hilversumio*, percæpisset, cælitùs ei à Patre patefactum, tres urbes opulentas cum omnibus ipsarum bonis, à Deo ipsis datas esse, nempe *Amstelrodamum*, *Daventriam* & *Wesaliam*, certis hominibus illûc missis, eas in Anabaptismi nassam perducere pretium operæ duxit. Inter hos verò emissarios præcipui fuére, *Iohannes Campensis* ad Amstelrodamenses missus cum comite *Iohanne Matthiæ Middelburgensi*: Apud Wesalienses verò ad Anabaptismi ac Conspirationis Monasterienses propagationem præcipui fuêre *Otto Finckius*, *Guilielmus Schleeboschius*, *Iohannes à Veuw* & *Henricus Knippinck* nec non *Carolus Schoemacher*: sicut aliquando ex archivo

Henrici Hilversumij vanum somnium.

ex archivo Weſalienſi notavi, Refert *Hortenſius* & ex eo *Bullingerus* & *Guido*, quód in Friſiam tùm quoque Rex miſerit apoſtolum ſuum *Iohannem Gelenium*, virum aſtutum & rei militaris haud ignorantem, qui aliquot centurijs ibidem conſcriptis & *Bolſweerdæ* cænobio (quod *vetus monaſterium* vulgo dicitur) occupato caſtra illic poſuit, ut exercitum Anabaptiſtarum augeret ac confirmaret. Vide *Bullinger. lib. 2, adverſ. Anabapt. c. 10. pag. 69.*

15. *In hos pulverem ſe pedum exeutere*] Addit *Sleidanus*, *pag.* mihi 275. ſingulis emiſſarijs nummum aureum in hunc finem datum, ut eum ijs in locis, quæ doctrinam ipſorum non admiſſura ſint, quiſque relinqueret, in teſtimonium ſcil. futuri ipſorum interitus & exitij ſempiterni ob repudiatam pacem & doctrinam tam ſalutarem. Porró quod hic *pulverem pedum ſuorum excuſſiſſe* dicuntur, id nempe in ſignum anathematis ab ipſis factum eſt, ad imitationem (ſi Chriſto placet) Apoſtolorum. *Math.* 10. 14. *Luc.* 9. 5. *Actor.* 13. 51. *&c.* Excuſſio pulveris ſiquidem ſymbolum erat anathematis cujuſdam, Iudæis receptum: quo apoſtoli ex Domini mandato utentes ſignificabant, nihil ſibi cum contemtoribus gratiæ fore commune, ne pulverem quidem. Et hoc quidem *Luc.* 10. 10. 11. Chriſtus jubet eos etiam expreſſis verbis teſtari: *Egreſſi in plateas civitatis dicite: Etiam pulverem qui adhæſit nobis ex urbe veſtrâ, abſtergimus vobis*, id eſt reddimus, ne quid commune vobiſcum habeamus. Sed nihil illud adfactioſos hoſce Phantaſtas, qui ſimiſtarum

Excuſſio pulveris pedum Apoſtolorũ quid ſignificet.

Matth. 10. 14, Luc. 9. 5. Act. 13. 51.

Luc. 10. 10. 11.

Anabaptiſtæ Apoſtolorum ſimiæ.

instar ritu isto usi sunt.

16. *Georgio Schenckio Frisiæ Præside*] Hic nempe is est, de quo post *Lamb. Hortensium Bullingerus & Guido* referunt, quod celeriter collectis copijs seditiosos Anabaptistas, qui Boliswoerdæ confluxerant, cinxerit, ac ipsos strenuè se defendentes, non sine clade oppugnârit, atque in universum omnes pœné profligârit. Vide *Bullinger. lib. 2. adverss. Anabapt. c. 10. Pag. 59. & 60.*

2. Sam. 15. 31. 17. *Nisi Dominus illorum consilia infatuâsset*] Modus loquendi petitus ex 2. *Samuel.* 15. 31. ubi David *consilium Ahitophelis infatuari à Deo*, postulat. De factiosorum autem Anabaptistarum consilio illuso sic eleganter lusit clarissimus poëta *Ioh. Stigelius Tom. 1. lib. 8. Elegia* 10. ad Iohan. Fredericum Ducem Saxoniæ, *Pag. 297. b.*

Ioh. Stigel. Tom. 1. lib. 8. Eleg. 10. pag. 297. b.

Etsi faviſſent ſceleratis fidera cæptis,
Iam cinis & pulvis Teutonis ora foret,
Ausa est privatum sine jure extollere Regem;
Qui tanti ſceleris duxque caputque foret,
Dij quantos ſcelerum fluctus, quæ crimina movit!
Nominibus pudor est ista referre suis.
Sed benè consuluit Christus pietatis honori;
Versa est in Cineres cum Duce Secta suo.
Certa ſVb aDVerſo ſtat nVLLa potentIa ChrIſto,
QVæ non ConſtItVIt, non beat ILLa DeVs.

Notan-

Notandem verò in ultimis duobus versibus Chronodistichon contineri, quo annus internecionis hujus furoris Anabaptistici indicatur, scil. annus Domini MDXXXV.

CAP. VIII.

MVlta obiter hic commemoranda essent, si vel tibi auscultandi, vel mihi commemorandi daretur otium. 1. Properabant ad eandem 2. Palingenesian è Principis nostri ditionibus greges aliquot: quorum plerique in Autophooroo deprehensi atque in itinere intercepti fuerunt. E quibus quotquot resipuerunt, dimissi sunt, persistentes in proposito, etiamnum carceribus detinentur. 3. Dux miserae turbae artificio scil. ærarius ac rebaptizatus, excitandis alijs ac deducendis missus: Is quum seditionis, majestatis ac plagij reus, 4. tum ob singulares blasphemias à Principe supplicio affectus est. homo adeò exsecrandâ linguae petulantiâ, ut jamjam cremandus optârit fructu'um illud Eucharistias Dominicæ panis pedibus conculcare, aut En toò apoxesthai eodem abuti. 5. Hactenus à Principe nullus capitaliter mulctatus est, eo meu, ne insontem fortè condemnaret, malens nocentes aliquot elabi, quàm innoxios ad suppli-

cium rapi. Nam 6. à vicinis Principibus & Cæsaris atque Ecclesiasticorum ditionibus; citra delectum, quicunque vel Lutherana vel alterius doctrinæ sectatores fuerint, tanquam hæretici ad lanienam trahuntur, 7. omnes Lutheranos appellitantes, tam Sacramentarios quam Anabaptistas, perinde atque eos qui sinceræ doctrinæ Euangelij studiosi sunt, constitutis in hoc corycæis, ita ut 8. si Christi nostri Servatoris verbum quis vel legere vel habere, vel contra hominicionum quorundam somnia mutire ausit, continuò 9. hæretici pœnis 10. constitutionique Cæsareæ obnoxius insimulatur atque habetur. Haud scio, quibus legibus fortè, aut quo cognitatis Kai tæs Epieikeias exemplo id faciant, sive Ecclesiasticas sive civiles sanctiones, quantumvis sanguine scriptas, respicias. Neque 11. enim ea doctrina, quam ipse adhuc vel legi, vel audivi Lutheri esse, ullum habet dogma, quod ab Ecclesiâ vel Legibus hæreticum sit declaratum. Jam autem si quis hanc privatim ac sibi legat, neque citra vocationem doceat & Magistratuum majestas offendatur, quopacto hic hæreticus dici poterit, non video. Cæterum in nostri temporis Anabaptistas non uno modo hæreticos,

hæreticos, ſed & ſeditioſos ac blaſphemos veterum Imperatorum Conſtitutionibus, tùm recenti Cæſaris Edicto pœnam conſtitutam, Principes ac magiſtratus rectè exſequuntur: ſiquidem 12. blaſphemiam etiam magiſtratus è Dei mandato punire debet. Alioqui 13. ſimpliciter rebaptizati, quales reperiuntur aliqui ſeducti & innocentià vitæ commendabiles, verbi Dei gladio revincendi, & quidvis apud hos tentandum antè, quàm ad ſanguinem veniendum; ita ut hæreſes potiùs, quàm homines tollerentur. Maximè quum Cæſareæ in hoc cautæ LL. diverſis & authoribus & temporibus, adde etiam occaſionibus rogatæ, antinomijs de Anabaptiſtarum ac hæreticorum pœnis diſſidere videantur. Sed plerique ſic ſunt præfracti ac philauti ſuis ſomnijs ac viſionibus innixi, ut & magiſtratibus violenter repugnent, ac ſeditioſe extra vocationem ad docendi munus irrumpant, tranquillitatem Reip. conturbent, imperia & magiſtratus ac literas abrogare ſtudeant, & ſi Scripturis cum illis agas, in promtu eſt: Tibi datum non eſt hoc intelligere, Spiritum non habes. 14. Mirareris hominum pertinacium, animumque ad quævis ſupplicia imperterritum. 15. Ajunt En tou katæ-chizein *lagunculam* à Catechiſtâ præberi, è quâ ſimulatque

se Katechistæs potavit, tùm dicitur mox Enthusiasmoo rapi, adeo ut & oculis & vultu atque incessu 16. *Maniesthai præse ferat.* 17. *Circes arbitror esse poculum: habet enim Satanas sua philtra, quibus fœderatos sibi adstringat, & à Christi fœdere recedentes in fide suâ contineat. Obvium non salutant, juxta illud:* Si quis hanc doctrinam non adfert 18. nec Ave ei dixeris. *Imo ne salutantem resalutant homines tetrici ac superciliosi.*

Hypomnemata & Notæ.

1. *Properabant ad eandem*] Et hoc *L. Hortensius, Bullingerus, Sleidanus* cæteriqúe non nisi obiter commemorant.

2. *Palingenesian*] hoc est, instaurationem novi illius Anabaptistici regni: aliâs *Palingenesia* Theologis Regeneratio sive renascentia est, de quâ Christus cum Nicodemo egit. *Iohan.* 3. 3. & deinceps.

Ioh. 3. 3.

3. *Dux misert turbæ artificio ærarius*] Is fortè est Henricus Santes Wesalienſis, fuber cuprarius, qui unus ex XII. Viris fuit, quos Rex in Duces sibi selegit: quamvis & illi, quorum proximè memini, propter conspirationem Anabaptisticam Monasterienſem, mandato Principis Clivensis Wesaliæ incarcerati sunt, & ad supplicium rapti. Cæterùm propter Anabaptismum ibidem jussu Senatûs incarcerati fuere circa

VVesaliæ varij Anabaptistę utriusque sexûs incarcerantur & quidam ex ijs extremo supplicio afficiuntur.

circa idem tempus *quidam Ocrearius* ad portam lateritiam habitans, necnon quidam *Guilielmus Kauſemácher*, ut etiam *quidam marſupifex*, cum omnibus eorum domeſticis: Quibus poſtea additi fuere quidam *Georgius Gurdelmácher* Anabaptiſtarum tabellarius: ut & uxor ac famula *Ottonis Finckij*, ac *Caroli Sutorij* uxor, *Alethea à Weuw*, *Henricus Schroderus*, *Balthaſar Harniſmácher*, *Ludigardis Bottermans* necnon *Speculator templi Wilbrordiani* cum conjuge, eâdem hæreſi faſcinati. Ex quibus illi duntaxat, ex Edicto Principis ac Senatus decreto conſentiente, extremo ſupplicio affecti ſunt, qui ſeditionem moverunt: cæteris autem ob Anabaptiſmum duntaxat vinculis conſtrictis parcitum fuit, quippe qui ex publico carcere ad privatam cuſtodiam ſunt deducti, ibidemque tantiſper detenti, dum prævia ſalutari inſtructione, hereſin ejurarent. In quo opere nomine Principis Clivenſis operam ſuam maximâ dexteritate ac ſedulitate impenderunt Nobiliſſimi ac Conſultiſſimi viri, *Dn. Matthias van Lohe, Satrapa Scermbecenſis, Weſalienſis ac Dinſlaſenſis: Dn. Theodorus van Wilich, Aulæ Clivenſis Præfectus hæreditarius: Dn. Henricus Barzius, Oliſleger* nuncupatus, *LL. Doctor & Cancellarius Clivenſis*, ut & *Dn. Iohannes Gogravius Cancellarius Iuliacenſis*, necnon *M. Hermannus Brœlius Ducatus Clivenſis Scriba*; quorum memoria ſit ſempiterna.

4. *Tum ob ſingulares blaſphemias*] An blaſphemi hæretici à magiſtratu licite capitali ſupplicio afficiantur, ſæpè quæſitum & olim, &

Blasphemi hæretici an licitè capitali supplicio afficiantur.

olim, & etiamnum quæritur: alijs id simpliciter negantibus, alijs disertè affirmantibus. Ego mediam cum Heresbachio viam sequi, magis tutum æstimo: quum hæretici verè & propriè dicti non uni sint; sed alij sint simplices errones, qui ex simplicitate & infirmitate peccant, sicut quidam Rebaptizati fuerunt: alij malitiosi turbones, non uno modo blasphemi, seditiosi, authores Apostasiæ & Perturbatores Politiæ vel Ecclesiæ. Illi verbi Dei gladio potiùs, quam corporali sive pœnis civilibus sunt revincendi, apud quos argumenta plùs quàm arma, doctores quàm tortores, verba plus quàm verbera, proficiunt. Hi verò pro qualitate delicti acriter sunt puniendi juxta LL. & Constitutiones divinas & civiles, non solùm multâ pecuniariâ, carcere & exsilio, sed ipsâ quoque interdum morte; hoc tamen fideliter observato, quod vult:

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Lactantius instit. divin. lib. 5. cap. 20. pag. mihi 318.

Ita cum his Anabaptistis Monasterienſibus, cum *Thomâ Muntzero*, *M. Serveto*, *Valentino Gentili* & nuper cum *Henrico Slatio* ejusque socijs actum. Frustra huic opponitur authoritas *Lactantij*, qui *Instit. divin. lib. 5. cap. 20.* dicit: *Si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur.* Nam illius expostulatio in eos tantum dirigitur, qui Dei verbo destituti, vi atque

vi atque tormentis potiùs Deorum ſuorum cultum promovebant, quàm ratione & hortamentis, quique carnificinam cum pietate, veritatem cum vi & juſtitiam cum crudelitate commutantes, myſteriorum ſuorum ſilentium omnibus indicebant: ſicut hodie pij deflent, ſtatum Papalis Eccleſiæ nonniſi vi & cædibus ſuffultum eſſe, & à ſuis aſſeclis cæcam quoque Obedientiam ac ſilentium requiri, *ne forté* (ut cum eodem *Lactantio* loquar) *vulgus cui ſimplex incorruptumque Iudicium eſt, ſi myſteria* Papiſmi *cognoſcat* libidine otioſorum ac ſanguinolentorum hominum *conſtituta, damnet, aliudque verius, quod colat, quærat*. Quid autem hæc ad pium Chriſtianumque magiſtratum, qui quidvis potius apud ſeductos non ſolùm, ſed etiam ſeductores prius tentare, quàm ad ſupplicium eos rapere, ſpiritualique gladio eos potius, quàm ſeculari brachio, compeſcere ſolet: nulla hic vis, nulla ſævitia, nullum denique ſcelus, ſed ſumma juſtitia & ſeveritas juſta, quàm Deus in quovis magiſtratu poſtulat ut blaſphemos & contumaces è medio tollat. *Deut.* 13. 1. *&c. Deut.* 18. 20. *Vulpeculaſque corrumpentes vineam Domini prehendat, Cantic.* 2. 15. cuſtoſque ſit non ſolùm ſecundæ, ſed etiam primæ tabulæ. Vnde quoque apud *Eſajam cap.* 49. 23. *Eccleſiæ nutritij* dicuntur quod ad tuendum pietatis ſtatum potentiam ſuam conferre debent: ſicut ad id oſculo tanquam ſacramento ſeſe Dei Filio illi conſtrinxêre, Davide ſubmonente *Pſalm.* 2. 12. Conſulatur hac de re *Calvinus in Refutat. errorum Michaëlis Serveti*, ubi hanc

Lactantius ibidem.

Deut. 13. 1 & 18. 20.

Cantic. 2. 15.

Eſai. 49. 23

Pſal. 2. 12.

contro-

controversiam abunde is tractavit: pro quo labore, judice *Philippo Melanchthone*, ei Ecclesia & nunc & ad posteros gratitudinem debet & debebit, *in Epistol.* 14. Octob. *anno* M D L I V. scriptâ.

Ioh. Filiczki dictum.

5. *Hactenus nullus à P. capital, mulctatus est, eo metu*] Hic locum habet illud *Ioh. Filiczki* Poëtæ Pannonij. *in Poëmat. libel. pag.* 17.

Ne nimium propera meritas infligere pœnas;
Namque iræ res est perniciosa furor.

6. *Nam à vicinis Principibus*] Sic Paulo antè, quàm Author Epistolæ hæc scriberet, nempe anno Christi M D X X I X. 28. Septembris, Coloniæ igne exusti sunt duo insignes pietate viri, illustresque Christi confessores, *Petrus à Flisted* ex agro Iuliacensi & M. *Adolphus Clarebachius Lutheringhusensis* ex Ducatu Montensi, Scholæ Wesalienſis quondam Conrector; qui ibidem, necnon *Budriciæ*, *Monasterij*, *Osnabrugi*, *Lennepe* alibique Euangelij semina sparserat. Zelus certè tam pij viri ac glorioſi martyris immortalem laudem apud posteros meretur: quippe qui masculâ fronte hæreses ac superstitiones passim veritati tum prælatas oppugnavit, & ex verbo Dei earum nervos incidit. Sic enim is anno M D X X V. die Martis post Nativitatis Mariæ, coram augusto Senatu Wesalienſi, obtulit se ad disputandum cum *Fr. Georgio van Dorsten Monacho de Observantiâ Ordinis Minorum Dorstensium*, sub

Petrus à Flisted & Ad. Clarebachius Coloniæ ob professionem Euangelij igne exusti.

pœnâ

pœnâ capitis, adverſus Liberi arbitrij vires, quas Papiſtę Pelagianizantes in homine poſt lapſum ſupereſſe opinantur. Quod quidem non leviter dictum Senatum tenebris Papiſticis tum adhuc immerium commovit aculeoſque in eorum civiumque perplurium animis reliquit. Virum quidem ex urbe per *Gerhardum Bungardum* conſulem tum dimiſerunt commotionem neſcio quam metuentes: ſed ejus efficaces paræneſes Chriſtianamque parrheſiam, quam in Veritatis aſſertione coram ipſis, conſtanter oſtendit, ſummoperè admirati fuêre. Antea enim Papatus in inclytâ iſta urbe adeo prævaluerat, ut nulla ſuperſtitio tam palpabilis eſſet, quam ea non exoſcularetur, ambabuſque (quod dicitur) ulnis amplexaretur. Ita enim non ſolum *D. Antonio* ceu Divo Merico ac Tutelari patrono ſuo devoté ſupplicabant, ſexque præpingues porcos quotannis eidem ex voto alentes, anathemata votaque eidem ſupplices faciebant: ſed etiam cum *Winkelio*, *Canonicorum Xantenſium Præpoſito* non ita pridem, id eſt, anno M D X V I I. die Solis poſt Vincentij Martyris egerant, ut Indulgentiæ venales etiam apud ſe exponerentur, peregrinatioque ſolennis quotannis inſtitueretur: ad quod Carthuſiani Colonienſes operam ſuam eidem Senatui obtulerant, ut reliquiæ Sancti Wilbrordi ex alijs locis illuc transferrentur; **alles damit ein Aflaes aengheſtalt und gelt geſamelit werde/ zu anfbauwung der kirchen** (ut habent verba Protocolli Senatus Weſalienſis) id eſt, quod

VVeſaliæ Papatus olim quam valdè prævaluerit.

quodomne ideo propositum fuit, quo ex Indulgentijs institutis pecunia ad templi structuram colligatur. Quod quidem eo anno accidit, in quo *Lutherus Ioh. Tecelio Dominicano* Indulgentiarum nundinatori circumforaneo Wittebergæ Saxonum, & *Zuinglius* Tiguri in Helvetiâ cuidam *Bernardo Samsonio Mediolanensi* Franciscano, Pontificiarum remissionum præconi, sese publicè opposuit. Ad hæc Papismi sui fidem ulteriorem facturus idem Senatui, consentiente *Theodoro Dusselacrpio* Prætore, anno MDXXIX, die Martis post. Vocem jucunditatis, concludebat, *libros Lutheri adversus Missam, sanctumque Sacramentum* ignominiosè (ut ille tum ajebat) scriptos, sicut etiam *de Captivitate Babylonicâ*, igni tradendos; præcipiens insuper die Martis post Paschа anni sequentis MDXXX. Euangelico cuidam ministro urbem fortè ingresso, ut ante solis occasum, discederet, ni extremum de se statui vellet. Quum tamen paulò post Controversia publica oriretur inter *Antonium Furstenbergium* ad S. Wilbrordi Pastorem, & *Iohannem Sonsbecensem apud Augustinianos Lectorem*; quorum ille pro concione ad populum asserebat, *quod bona opera hominem salvum facerent: quod* item *ex proprijs viribus quisque mandata Dei exactè servare queat*: quòd denique Sancti *rectè invocentur, & Purgatorij pœnæ sint*: hic verò contra sustinebat, *quòd fides justificet, ex quâ bona opera ceu ejusdem fructus sequuntur: quòd in nostrâ facultate non sit observatio mandatorum Dei relicta; quum solius Dei opus istud sit peccata nobis*

Antonij Furstenbergij doctrina Pelagio-Pepistica.

Iohannis Sonsbecensis doctrina Orthodoxa.

propter Chriſtum non imputantur: quòd Invocatio religioſa nulli creaturæ quantumvis ſanctæ, ſed uni Deo competat. Et Purgatorium quoque figmentum hominum ſit ad crumenas & penuaria Sacrificorum replenda excogitatum: idem Senatus, ſuffragante eodem *Theodoro Duſſeldorpio* Prætore, utrique ſerió mandavit, ut de articulis controverſis convenirent, **vnd ſolten Gottes wort lauter vnd rein leeren**/ id eſt, *verbumque Dei purè & incorruptè imposterùm docerent*: quòd ni facerent, ſe ad Illuſtriſſ. Principem id relaturum: quod anno M, D, XXXI. die Martis poſt Severini, in Senatu concluſum eſſe, ex Protocollo Senatorum ejus anni quondam notavi. Tantùm videl. aculei à *Clarebachio* animis eorum infixi apud eos, Deo benedicente, effecére; unde impoſterùm Reformatio plenior ac *Beltiooſis* optata in Eccleſiam Weſalienſem, Papatu eliminato, introducta eſt: de quâ prolixè vide, quæ in Vindiciarum mearum Catecheticar. partis tertiæ Præfatione aliquando attuli.

7. *Omnes Lutheranos appellantes*] Genius hæreticorum falſorumque doctorum ab omni ævo fuit, Fidem orthodoxam ſub invidioſis odioſiſque vocabulis traducere, teſte temporum Hiſtoriâ. Ita in ipſo Chriſtianiſmi exordio Doctrina Euangelica dicebatur *Nova*, *Act.* 17. 19. & *Secta ſive Hæreſis Nazarenorum*. *Act.* 24. 5. & 14. Ita & Chriſtiani à Porphyrio, Luciano, Iuliano Apoſtatâ Galilęi eodem modo ſunt

Fides orthodoxa ab hęreticis ſemper invidioſè traducta fuit. Act. 17. 19. & 24. 5. 14.

appellati : sicut etiam ab Arianis *Homoüsiani*, *Athanasiani* ijdem dicebantur. Eodem modo adversarij nostri in Papatu per contumeliam nos vocant, *Lutheranos*, *Calvinistas*, *Sacramentarios*, *Geuseos*, & quicquid atra bilis nominum contumelioſorum præterea ijsdem suggerit : quæ nomina nos ceu Schismatica rejicimus, qui (ut ait *Athanasius orat. 2. contra Arianos*) *Christiani & sumus & nuncupamur, quippe qui solus pro nobis est crucifixus & in cujus nomine baptizati sumus.*

Athanas. Orat. 2. contr Arianos.

Sacram Scripturā vernaculè legere en Papistis piaculum & grande scelus.

8. *Si Christi Serv. nostri Verbum quis vel legere*] Vide *Martyrologium Herbornæ editum, lib. 3. pag.* 184. 199. & 211. Memorabile verò exemplum *ibid. pag.* 189. refertur. Id autem tale est Circa annum Domini M, D, XLII. Episcopus Licolnensis in Anglia duos vere pios ac Christianos viros, nempe *Iacobum Mortonum* & *Thomam Bernardinum*, ad rogum idcircó damnavit illum, quód alium Orationem Dominicam vernaculè recitare docuerat : hunc verò, quód Epistolam S. Iacobi Anglico sermone redditam habebat. Additurque ab authore : Episcopos & Inquisitores Angliæ in suis Canonibus præcepisse, ut attenderetur, si quis sub sacris Biblia vel haberet vel legeret : quum talis ceu verus ac indubitatus hæreticus convenienter apud Inquisitores deferri debeat. Et hodie non desunt ; qui ad Papismum propagandum, Edictis ac Diplomatibus suis vipereo cruore tinctis, postliminio

eandem

eandem Impietatem reſtituere ſatagunt, præſertim in Bohemiâ, Auſtriâ, aliiſque ſuperioris Germaniæ locis. Sic *Catechiſmus Buſcoducenſis Pontificius Lectione VIII.* hanc blaſphemiam approbat: *Nunquid verò* (inquid interrogans) *omnibus Scripturam vernaculè legere licet? Nequaquam*: reſpondet: *Id enim ut* GRANDE SCELVS *ſancta Eccleſia* (per quam *ibidem Lect. V.* intelligit *Papam, Epiſcopos cæteroſque Eccleſiæ gubernatores*) *prohibuit, niſi quis ab Epiſcopo ſuo, Scripto ad hoc veniam impetravit.* Cujus rationem hancce reddit. 1. *ut Authoritas Scripturæ conſervetur.* 2. *ut utilitati publicæ conſulatur: quum S. Scripturæ multa contineat, quæ non cuivis proſint.* 3. *Eademque multis in locis non ſit perſpicua.* 4. Denique *quum ex Dei mandato Lectio Scripturæ Sacerdotibus ſive Euangelij miniſtris ex officio peculiariter incumbat, qui tanquam oculi ac os Eccleſiæ ſint conſtituti.* Item verò atras & non uno modo Antichriſtianas blaſphemias! Rectiùs autem pij nôrunt, hunc virum beatum à Deo æſtimari, qui Legem Domini diurnâ nocturnâque manu verſat. *Pſalm.* 1. 1. 2. Vnde Lectionem Scripturarum omnibus idem ſeriò mandavit. *Deut.* 6. 6. 7. 8. 9. & 17. 19. & *Iohan.* 5. 39.

Catechiſmi Buſcoducenſ. blaſphemum pronunciatû.

Pſal. 1. 1. 2.

Deut. 6. 6. 7. 8 9. & cap. 17. 19.

Ioh. 5. 39.

Rationes in contrarium allatæ nullæ ſunt. 1. Nam S. Scripturæ authoritas non neglectu, ſed lectione & frequenti meditatione demum conſervatur. Vnde B. Petrus ait, quòd ei attendentes, tanquam lucernæ

apparenti in caliginoſo loco & cæt. *benè faciant.*

2. Pet. 1. 19. 2. Pet. 1, 19. 2. Dicere, *Scripturam multa inutilia aut non proficua continere*, blaſphemia eſt in Spiritum S. ſacrarum literarum authorem, redundans: quum ejus impulſu Sancti Dei homines loquuti ſint ac conſequenter S. Scripturam conſignârint. Paulus verò ait: quód *omnis Scriptura divinitus inſpirata, ſit utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad Inſtitutionem quæ eſt in juſtitiâ*, & cæt. 2. Tim. 3. 16. Quód autem, Petro teſte in 2. Epiſt. cap. 3. 16. *leves ac volatici homines interdum eam in exitium ſuum detorquent*, licèt à Deo in ſalutem noſtram revera deſtinata ſit, id per accidens fit, neque utilitati Scripturæ quidquam derogat. 3. Scriptura inſtar lampadis refulget ijs, quibus Deus mentem aperit, ut ex dicto Petri ſuprâ citato & ex *Pſalm* 119. 105. liquet. Fieri ergo nequit, quin ea quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, dilucidè, perſpicuè & intelligenter tradat: ſi quæ in eâ ſunt *Duſermæneuta kai duſnoæta*, hoc eſt, *difficilia explicatu & intellectu*, non eſt Scripturæ, ſed vel rerum in Scripturâ contentarum, propter majeſtatem ipſarum; vel infirmitatis carnis noſtræ: neque enim (ut in confeſſo eſt) abſque interna luce Spiritûs eas cognoſcere poſſumus, & *quæ novimus, ex parte tantùm & modo imperfecto novimus*. 1. Cor. 13. 9. Porró res Scripturæ, licét majeſtate ſua nobis obſcuræ ſint, quà tamen in Scripturâ proponuntur, obſcuræ non

2. Tim. 3. 16.

Pſal. 119. 105.

1. Cor. 13. 9.

ræ non ſunt. Modus enim docendi, quem in Scripturâ tenet Deus, ſic attemperatus eſt, ut conſpicuam illic lucem habeant, quicunque Spiritum S. vitæ ducem ſequi non recuſant. *Deut.* 30. 11. 12. & *Pſalm* 19. 9. Atque hoc eſt, quod *Chryſoſtomus homil. 3. de Lazaro*, quoque diſſeruit, dicens, *Apoſtolos & Prophetas non ſtuduiſſe obſcuritatibus, more Philoſophorum, ſed omnia manifeſta claraque nobis tradidiſſe, tanquam communes orbis doctores.* 4. Eccleſiæ quidem miniſtris ſivæ Paſtoribus Scripturæ lectio peculiariter demandata eſt, teſte Propheta, *Malach.* 3. 7. *Certè*, inquit, *labia Sacerdotis cuſtodient Scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia nuntius jehovæ eſt.* Sed quando *Sacerdos* (ut idem Propheta *Ibid. verſ.* 8. addit) *declinat è viâ impingere faciens auditores ſuos in Lege*, quid hic ijſdem faciendum? num acquieſcendum ex obedientiæ cæcutientis conſilio, ut jubet Papa cum ſuis? Nequaquam; ſed *ad Legem & teſtimonium*, ut alius Propheta ait, recurrendum ijs fuit. *Eſaias* 8. 20. *Scripturaque ſcrutanda. Ioh.* 5. 37. Hinc paſſim in S. Codice Scripturæ lectio demandatur, tùm Regi. *Deut.* 17. 19. tùm unicuique Patrifamilias. *Deuternom.* 6. 7. tùm ſenibus, tùm adoleſcentibus, imo ipſis pueris. 1. *Iohan*, 2. 12. 13. 14. &c. Ex quo rectè *Calvinus in comment. ſuper h. l.* infert, quòd *diabolica ſit tyrannis Papæ in quæ minaciter ab Euangelij doctrinâ omnes ætates arcet, quas Spiritus Dei tam ſtudioſè provocat.*

Deut. 30. 11. 12. Pſal. 19. 9. Chryſoſt. homil. 3. de Lazaro.

Mal. 3. 7. 8.

Eſai. 8. 20.

Ioh. 5. 37.

Deut 17. 19

Deut. 6. 7. 1. Ioh. 2. 12. 13. 14.

Theophylacti de hoc judicium elegans eſt in Epiſt. ad Epheſ. c. 6. p. 241. *Sivè*, inquit, *tibi ut liberi obſequantur, divinis hos adde & aſſuefce ſermonibus. Nec dixeris, monachorum eſſe ſacris literis intendere animum, quin potius, Chriſtiani cujuſvis hominis id ſane officium eſt, & ejus precipuè, qui hujus ſæculi rebus inverſatur: & eo magis, quia & majore indiget ope, ut qui mundi fluctibus agitatur. Hæc ille.*

9. *Hæretici pœnis obnoxius*] Nempe ſecundùm quod Imperator *lib. 1. c. de ſummâ Trinitat.* ſtatuit, *Hæreticos non ſolùm divinâ vindictâ, ſed & civili ultione plectendos.* Vbi tamen non de quibuſvis hæreticis, ſed de manifeſtò-blaſphemis in Deum aut SS. Trinitatem; Manichæis, Valentinianis, Marcionitis, Samoſatenianis, Arianis Fidem Nicænam negantibus pius Imperator loquitur.

10. *Conſtitutionique Cæſareæ obnoxius*] Intelligit author *Edictum CAROLI V.* in Conventu Auguſtano, anno MDXXX. 19. Novemb. adverſus Eccleſiæ reformatores promulgatum: de quo vide *hiſtoriam Sleidani lib. 7. pag.* 200. 201.

11. *Neque doctrina Lutheri ullum habet dogma*] Hæc de D. Luthero ejuſdemque conatibus ad rem Chriſti reſtituendam inſtitutis non ſolùm *Hereſbachij*, ſed ipſius quoque Illuſtriſſimi Principis Clivenſis *Johannis*, ejuſque filij *Guilielmi* ſententia fuit; quibus annuentibus hanc Epiſtolam ad Eraſmum author

Lutheri doctrina ab omni hæreſi remota.

author olim ſcripſit. Quod probè contra figmentum *Petri Cudſemij* Apoſtatæ & Sacrificuli Colonienſis tenendum: qui publico Scripto affirmare aliquando auſus fuit, Illuſtriſſimos Iuliæ, Cliviæ & Montium Duces ac Principes ad unum omnes Papiſmi devotos admiratores ac cultores fuiſſe. Id verò ſic anno M, DC, XXII. 14. Iulij *Spectatiſſimus Senatus Vrbis Orſovienſis* in libello ſupplici ad Illuſtrem Principem ac Dominum, *Guolfgangum-Guilielmum Neopyrgico-Palatinum* confutavit: *Haud incognitum* (inquit) *eſſe poteſt, quòd in Reformatâ noſtrâ religione ſenior Princeps quondam noſter Guilielmus laudatæ memoriæ à puero imbutus ac informatus ſit; quodque deinceps idem cum Electoribus & Principibus Proteſtantibus, tàm in Colloquijs ſuper religionis negotio, quàm in alijs Procerum Imperij Conventibus perpetuus quaſi ac indivulſus comes ac ſocius fuerit: quemadmodum inprimis patuit Anno M, D, LXVI. in Comitijs Auguſtanis, quando Illuſtris Celſ. ejus Cæſaream Majeſtatem uſque ad templi valvas comitabatur, inque hoſpitium reverſa Euangelicas Conciones audiebat: Sicut etiam liberum Euangelicæ religionis exercitium in ejuſdem Celſ. aulâ in uſu fuit. Quod item per omnes ditiones Celſ. ejus ſubjectas fuit conceſſum: hinc factum, ut quàm plurim Eccleſiæ eandem religionem conſtanter retinuerint: quemadmodum quoque Reipub. Orſovienſi Celſitudo ejus Paſtorem Euangelicum Rodolphum*

P. Cudſemius in Hyperaſpite Tractat. de Deſperat Calvini cauſâ, adverſus Dn. B. Brantium, cap. 22 pag. 291. Orſovienſium teſtimonium de PP. Clivenſium orthodoxiâ.

Rodolfus Francomola Pastor Orsovienſ orthodoxus.

Francomolam, ut etiam alibi accidit, benignè designavit. Nec repetere juvat modò quid in diverſis Comitijs, Dinſlaci, Duiſburgi, Eſſendiæ, inprimis verò Duſſeldorpij in menſe Octobri, Anni M, D, XCI. ſicut etiam paucis ab hinc annis ſub ingreſſu Celſit. Tuæ denuò Duiſburgi in puncto religionis concluſum ſit: ſimul prætereuntes Reverſalia ab Illuſt. Celſit. Tuâ, Anno M, DC XIIII. 14. Junij publicè edita, quibus reformatæ religioni addictis laudabiliter inſtitutorum exercitiorum Eccleſiæ ac Concionum immunitas & conſervatio gratioſè promiſſa fuit. Hactenus verba D.d. Orſovienſium: Hoc magis confirmat Scriptum editum à Filiabus Principis Clivenſis, in quo Carolo V. Imperatori Romani *rationem* reddunt, *cur Miſſæ ſacrificium frequentare nec velint nec poſſint*: tùm quoque Catechiſmus Orthodoxus, anno M, D, LX. Duſſeldorpij à *Iohanne Monhemio Scholæ* ibidem Rectore editus, in quo reformatorum doctrina, quæ hodiè *Luthero-Calviniſmi* nomine odioſè traducitur, accuratè confirmatur: necnon Apologia, quam *Henricus Artopæus* pro orthodoxia ejuſdem adverſus Colonienſium fatuam ac elumbem Cenſuram paulò poſt edidit.

12. *Blaſphemiam etiam Magiſtratus è Dei mandato punire debet*] Mandatum illud exſtat, *Levit. 24. 14. 15. 16. Educito blaſphemum iſtum extra caſtra, ut nitantur quicunque audiverunt manibus ſuis ſuper caput ejus: deinde lapidabunt eum totus cœtus.*

Levit. 24. 14. 15. 16.

Item,

Item, *Si aliquis blaſphemaverit Deum ſuum; omninò laturus eſt peccatum ſuum.* Itaque *qui exſecratur nomen Iehovæ; omninò afficitor morte; omninò Lapides conjiciunto in eum totus cœtus: tam peregrinus, quàm indigena, quum exſecratus fuerit nomen Dei, morte afficitor.* Vide etiam *Deut.* 13.8 9.10. & alibi.

13. *Alioqui ſimpliciter rebaptizati.*] Conſule quæ paulò ante ad notam 3. in medium adduxi; quæ etiam hûc pertinent.

14. *Mirarer in hominum pertinaciam.*] Tales nimirùm & iſti eorum quondam anteceſſores fuerunt tempore *Bernardi*, quorum ille *Super Cantica, Serm.* 66. *fol.* 1046. meminit: *qui* nimirùm, ut ille ait, *Impietatem non confeſſi, ſed profeſſi ſunt, palàm pietatem adſtruentes & pro eâ mortem ſubire parati. &c. Mirabantur aliqui, quòd non modò patienter, ſed & lætè, ut videbantur, ducerentur ad mortem: ſed qui minus advertunt, quanta ſit poteſtas diaboli, non modo in corpora hominum, ſed etiam in corda quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt ſibîmet hominem injicere manus, quàm id libenter ob alio ſuſtinere? &c. Nihil ergo ſimile habent Conſtantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemtum in illis pietas, in iſtis cordis duritia Operatur.* Hæc ille. Ita enim ad fidei Chriſtianæ teſtificationem uberiorem Apoſtoli alijque Apoſtolici viri, ſicut olim, ita Patrum noſtrorum tempore, tantâ animi magnitudine ac robore Chriſtianæ religionis fidem promulgârunt, ut intra breve temporis ſpatium orbem terræ penè univerſum ad Dominum Deum con-

Anabaptiſtarum pertinacia.

Martyrum Conſtantia.

converterint ; nullumque periculum, imo ne ipsam quidem necem formidârint. Fremerent licet Tyranni & hæreticæ pravitatis dicti Inquisitores, cruciatus, verbera, equuleos, craticulas, hostias, Flammam, linguarum exsectionem, omne genus atrocissima tormenta, mortem denique ipsam minitarentur intentarentque: invicti tamen in fidei confessione manebant hi Heroës, nullius minis quantumvis ferocibus perterriti, nullo supplicio quantumvis exquisito fracti aut debilitati. Deficiebant tortores priùs in affligendo vires, quàm hos in perferendo patientia, animique fortitudo. Vnde *Albertus Hungerus*, Theologus Ingolstadiensis Pontificius exsertè testatur, *Oratio num*, *Tom.* 1. *Orat.* 2. *Pag.* 57. 58. *Experientiâ constat*, inquit, *complures hæreticorum* (ita idem Euangelicos per contumeliam vocat) *non solum tolerantes fuisse in perferendis supplicijs, verum etiam ambitiosos in exoptandis ; adeò, ut apprehensi, tanquam pro fide Christi, ad ædes, ut lautissima convivia, procurrerint, & in medijs rogis cantu, quem vix ipse ignis fragor intercipere potuit, mentis lætitiam ostenderint.* Inter quos ipse ibidem *Iohannem Hussum* & *Hieronymum Pragensem* recenset, *qui* scilicet (ut ipse ait) *de more ad ignem damnati, pertulerunt ambo magno & elato animo necem, nec ullam vel minimam miseri hominis vocem emiserunt, imo vero in medijs flammis altâ voce psallêre.* Quos perperàm pro Zelo suo Iesuitico Circumcellionibus, Adamitis

Alb. Hungerus Ingolstadiens. Theolog. Tom. 1. Orat. 2. pag. 57. 58.

Ioh Hussius Hieronym Pragensis.

ſis & Anabaptiſtis veteribus ac novis æquat, præclaroſque athletas & generoſos *Diaboli Martyres*, cum *Ioachimo Weſtphalo*, maledictorum oeſtro percitus vocat: Sed quum *beati ſint qui pro Domino moriuntur; ipſorumque mors pretioſa valde ſit coram Iehovâ, merceſque uberrima ipſis in cœlis ſit ſervata*, Spiritu Sancto paſtim teſtante, ſuſque deque habemus, quid tyrannidis Papiſticæ fiabella temerè in pios manes tantorum Chriſti martyrum effutiant. Nam

Ioachim. VVeſphalus.

Apoc. 14. 13. Pſal. 116. 15. Matth 5. 12.

Vivit adhuc in martyris & clade ſuorum
Chriſtus, & in membris regnat ovatque ſuis,
Idque inter medios hoſtes: quid perdere tentas,
Quos vult, ſervatos filius ipſe Dei?
Ringere, ſpargeminas, diſrumpere, ſi libet, irâ:
Non tamen impedies quod Deus urget opus.
Quin potius, licèt invitus, quam diruere optas,
Cogeris ignorans ædificare domum.

Martyrolog. Herbornenſe in Prolegom.

15. *Ajunt En too Katæchizein*] De hoc cæteri ſilent. Porrò *en Katæchizein* idem eſt quod Latinè in *Catechizatione* dicimus *Katæchizein* verò ſivè *Katæchein* inter alia ſignificat,

Catechizatio & Catechizare quid ſit.

cat, vivâ voce instituere: propriè verò, prima alicujus doctrinæ rudimenta tradere, & magis propriè in ecclesiæ sermone, prima elementa religionis Christianæ docere. Institutio autem talis, quæ scil. fit vivâ voce, aures auditorum circumsonante, Græce *Katæchæsis* & Latinè *Catechesis*, tùm Catæchismos, *Catechismus*, dicitur. *Catechetæ* verò seu *Catechistæ* dicuntur doctores, qui vivâ voce doctrinam sive Catechismum in aures discipulorum insusurrant: sicut *Catechumenus*, qui Catechismum discit, seu qui in rudimentis doctrinæ Christianæ imbuitur, sicut de Apollo, *Act.* 18. 25. dicitur, quòd fuerit *Katæchæmenos tæn hodon tou kuriou*, vivâ voce institutus, seu initiatus viâ Domini. Notavit *Clemens Alexandrinus lib.* 5. *strom.* non tantùm Ægyptios, sed omnes Græcos Philosophos consueviſſe eos, quos ad suam sectam vellent admittere, prius instituere viva voce secretioribus mysterijs sectæ suæ. Et apud Iudæos legimus fuisse triplicem doctrinam; *Cabalisticam*, quæ viva voce tradebatur: *Talmudisticam* & *Philosophicam*. Idem observatum fuit statim in prima Ecclesia, ut qui baptizandi erant, vivâ voce erudirentur, antequam tutò versarentur in Scripturis. Hoc genus doctrinæ vocatum est, ut dixi, *Katæchismos*, tum apud profanos authores, tùm in sacris literis. *Porphyrius* in principio *Homærikoon zætæmatoon* sic ait: *Hæmeis de ek tæs paidikæs katæchæseoos perinooumen mallon en pleistois æ nooumen.* Et *Lucas* 1. 3. 4. citat: *Visum est & mihi assequuto omnia & diligenter tibi scribere, optime Theophilo;*

Catechesis.

Catechistę.

Catechumenus. Act. 18. 25.

Triplex doctrina Iudęorum.

Luc. 1. 3. 4.

philo, ut ſcias eorum ſermonum, quibus Catechiſatus ei, veritatem. Vbi apponit hæc duo, ſcribere & *Katæchein.* Quamvis interdum vox illa generaliter adhibetur; ſicut *Actor.* 21. 21. 24. ubi preſbyteri Hieroſolymitani dicunt Paulo de Iudæis credentibus apud ipſos: *Katæchæthæſan peri ſou, auditione acceperunt de te, quòd defectionem doceas á Moſe:* Item, *Et norint omnes, nihil eſſe eorum quæ de te auditione acceperunt, Hoti hoon katæchæntai peri ſou ouden eſtin.* Ita Paulus de Iudæo, *Rom.* 2. 18. *Tu autem eruditus ſeu inſtitutus ex Lege, Katæchoumenos ek tou nomou.* Vide etiam *Act.* 18. 25. & *Gal.* 6. 6. ubi idem verbum *Katæcheiſtai* in ſimili ſignificatione occurrit. Porro, ut *Ioh. Maldonatus* Ieſuita *in lib.* 4. *Sentent. Tom.* 1. *de Baptiſm. c.* 1. *part.* 6. *quæſt. alterâ, pag.* 78. meminit, adhibebantur nonnullæ cęremoniæ in Catechiſmo. *Prima eſt, ut* ſimulac Catechumenus audiverat primam concionem, imprimeretur fronti illius ſignum crucis. Vnde *Signati* dicebantur, ſed *Chriſtiani* nondum dicebantur. Author eſt *D. Ambroſius in lib. de ijs, qui myſterijs initiantur cap.* 4. & *Auguſtinus lib. de Catechiſandis cap.* 25. *& 2. lib.* 2. *de peccatorum meritis, cap.* 26. *Secunda* Ceremonia erat, ut daretur Catechumenis ſtatim Panis quidam ſanctificatus per benedictionem Eccleſiæ, qui dicebatur *Panis Catechumenorum. &c.* Tertia erat, ut Catechiſmus fieret lumine adhibito, ut ait *Auguſtinus*, enarrans *Pſalm.* 65. *In Catechiſmo*, inquit, *ſicut in Baptiſmo ignis adhibetur ad ſignificandam Spiritus Sancti illuſtrationem.* Hoſce forte ſimiæ inſtar

Act. 21. 21. 24.

Rom. 2. 18. Act. 18. 25. Gal. 6. 6.

Ioh. Maldonat. in lib. 4. Sent. pag. 78.

Ceremoniæ Catechiſmi apud antiquos. 1.

2.

3.

instar factiosi Anabaptistæ æmulari opere sibi pretium duxerunt, è lagunculâ enthusiasticâ potantes Candidatisque Anabaptismi eandem præbentes, ut simili furore cum ipsis correpti, Enthusiastæ ac cælectes quasi Prophetæ fierent.

Mainesthai. Furere. quid Mania. Act. 26, 24. 25.

16. *Mainesthai præ se ferat*] *Mainomai* idem est, quod furere, insanire. Dicitur id de hominibus abreptitijs, quorum furor *Mania*, delirium dicitur. Quo morbo Festus Paulum correptum autumabat, *Actor.* 26. 24. *Mainæ Paule*, inquit, *Ta polla se grammata eis Manian peritrepei*, *Insanis Paule*, *multæ literæ te ad insaniam adigunt.* Cui Apostolus respondet, *Ibidem vers.* 25. *Ou mainomai*, *kratiste phæste*, *all' alætheias kai Soophrosunæs Rhæmata apophteggomai*, *Non insanio* (inquit) *præstantissime Feste*, *sed vera ac sobria verba eloquor.* Porrò mania peculiaris fuit ijs, qui Apollinis oracula sese proferre simulabant interquos inprimis celebris est Pythia fæmina, de quâ Chrisostomus meminit alicubi, quæ super tripode cruribus dinaricatis malignum Spiritum inferiùs immissum, parteſque genitales è quibus loqueretur, subeuntem excipiens, furore replebatur, & crinibus sparsis spumansque ore debacchabatur, fundebatque insana oracula. Hisce affines sunt *Ekstatikoi*, qui velut capti extra sese, sensuque omni & motu privati, jacent exanimis similes, & post ceu ex profundissimo expergefacti somno, aut à morte ad vitam revocati, redeunt ad sese, &

Ekstatikoi.

mira

mira narrant Talis Simon Magus, Mahomethus alijque id genus Phantastæ, &c.

17. *Circes poculum*] Circe, fabulantibus poëtis, Filia Solis & Perses Nymphæ fuit, quæ quòd venefica esset peritissima, dicta est commutâsse socios Vlyssis in porcos. De quâ sic *Horatius Epistol, lib. 1. ad Lollium* scribit. Circe ejusque poculum. Horatius.

Sirenum voces & Circes pocula nosti,
Quæ si cum socijs stultus cupidusque bibisset,
Sub dominâ meretricæ fuisset turpis & exors:
Vixisset canis immundis, vel amica luto sus.

De Vlysse Troiæ domitore loquitur. Hoc vero Circes poculum Satanas suis fœderatis propinat, quoties nempe Christo uno vero bonoque illo salutis ac vitæ fonte relicto, ad fœtentes inferi lacus homines sese convertunt, juxta quod illis minatur Iehova, *Deut.* 28. 28, 29. *Percutiat te Dominus amentiâ & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas: Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimâris violentiâ, nec habeas qui liberet te.* Sicut majorum nostrorum ætas tùm in Papismo, tùm Anabaptismo vidit: Ita quum anno M, D, X V I. nova *Peregrinatio* (ut vocant) *ad formosam Mariam Ratisponensem* instituebatur, homines quasi lymphatici ac fascinati ad eum profecti dicuntur, putà messor cum falce ex agro, fœmina cum lebeto è culinâ, nonnulli Circes poculum Satanæ. Peregrinatio ad formosam Virginem Ratisponensem.

verò

verò nudi dè lecto insomnis prosilientes, nec unquam retrospicientes. Haud minori stupore ad Virginem Aspricollensem, Hallensem, Lorettanam, Omelianam seu Astensem in Brabantiâ, necnon ad miraculosum, quem commenti sunt, sanguinem Buxtellensem, & ad caput Balbini Boxmeerini, ad Elisabetham Marpurgensem, ad Quirinum Novosiensem, & ad Idolophoriam Colonienſem confluunt; & annis proximis, ad dilectam nostram Borcharensem, Incolarum peninsulæ Mosa-Vahalicæ presidem, idem factum meminimus. De Maniâ Anabaptistarum singulari qui exempla desiderat, is ea apud Zwinglium, Bullingerum, L. Hortensium, Sleidanum, Surium aliosque prolixè inveniet.

3. Iohan. vers. 10. Ave quatenus & quibus non sit dicendum.

18. *Nec Ave ei dixeris*] Locus extat in 2. *Epist. Catholicâ B. Iohannis, vers.* 10. quo tetrici hi Anabaptistæ temerè abusi fuere. Neque enim Spiritus S. ibidem, ut isti volunt, inhumanitatem præcipit fidelibus, ut salute non dignentur, qui illis occurrunt; quum etiam igniculos istos naturæ inspirârit, qui, *ut salutemus libenter*, nos urgent: sed à consortio & familiaritate deploratorum hæreticorum & falsorum doctorum Christo apertè resistentiam nos avocat; ne versutiâ sua, quemadmodum serpens Hevam, nos decipiant, sensus nostros à simplicitate Christiana, sua blandiloquentia ac hypocrisi avocantes: sicut alibi quoque mandat Deus, ne commercium cum operibus infrugiferis tenebrarum habeamus, *Ephes.* 5. 11. né-ve jugum cum infidelibus ducamus, 2. *Cor.* 6. 14. non verò à quibus-

Cato.

2. Cor. 11. 3.

Ephes. 5. 11.

2. Cor. 6. 14.

buſvis impijs ſeu infidelibus abſtinere nos jubet; alioquin in novum quendam mundum migrandum foret, qui non niſi à pijs ac fidelibus poſſideatur. 1. Cor. 5. 10. ſed ab ejuſmodi abſtinere nos vult, à quibus periculum ſalutis nobis imminere videtur.

CAP. IX.

HÆC hactenus de doctrinâ, moribus ac geſtis Anabaptiſtarum de obſidione quidem jam ante cæptum longiuſculâ Parckbaſei interrupi; reliquum hoc habeto. 1. Epiſcopus ab ineunte Quadrageſimâ diſpoſito in propinquo oppidulo equitatu prohibere cæpit, ne quos intra mœnia Anabaptiſtæ vel commeatus, vel milites recipere poſſent, ac ſubinde velitationibus cum erumpentibus conflixit tantiſper, dum circa feſtum Paſchæ proximè ſequens, 2. copijs Archi-Epiſcopi Colonienſis ac Principis Clivenſis adjunctis, primùm urbs exercitu in quina caſtra diſtributo, obſideri cæpit, machiniſque admotis oppugnari: Attamen propter amplitudinem nondum ſic circumſepta cingi potuit, quò minus exploratores emittere & internuncios recipere poſſent, & ultrò citroque commeare intrantes ac prodeuntes; fortaſſis quod 3. nonnulli in exercitu Phi-

lechthroos *ad quædam conniventes, ut sit* En tois polemikois. *Atque eâ obsidione æstas consumta. Sub hyemem ab oppugnatione illâ quinarij exercitûs cessatum est, atque exercitus subductus. Sed tamen præsidiarij milites septenis castris vallatis dispositi sunt, qui cincti undique vallo ac fossâ excubias agerent impedirentque, ne aut commeatus, aut subsidia immitterentur: eoque stratagemate tandem putabatur urbs illa coërcenda. Eâdemque hyeme in aulam nostram venit Illustrissimus* 4. *Princeps Saxoniæ Elector, comitatus quibusdam alijs Principibus, qui omnes ad hunc nidum expugnandum operam suam accommodare parati erant: eodemque* 5. *omnes ferè Principes Germaniæ* Hoomadon *incumbere videntur: ita, ut propediem exspectanda sit Tragœdiæ hujus Catastrophe.*

Hypomnemata & Notæ.

1. *Episcopus dispositio in propinquo oppidulo equitatu*] Sleidanus *lib.* 10. *pag.* 268. scribit, id Pontificiorum ex urbe ab Anabaptistis expulsorum suasu factum. Hi enim (ut ille commemorat) quum aliud non possent, irati

irati diſcedunt, & ad ejus urbis Epiſcopum Comitem *Franciſcum à Waldeck)* abeunt, & inito conſilio ſtatuunt, occupandas eſſe vias omneis & aditus, ne quid in urbem importari poſſit annonæ. Aliquantó poſt, omnibus jam undiqúe vijs obſeſſis, Epiſcopus & ij, quos diximus, amplioris ineundi conſilij cauſâ, *Telgetum* veniunt, quod eſt ab urbe oppidulum ad milliare unum, &c.

2. *Copijs Archi-Epiſcopi Colonienſis*] Suffragatur his idem Sleidanus, dum *ibidem pag.* 272. ſic refert: Quum jam Epiſcopus aliquot menſibus omnem belli ſumtum ſolus feciſſet; *Colonienſis Archi-epiſcopus*, *Hermannus*, & *Clivenſis Princeps Iohannes*, auxilio miſerunt, pecuniam, tormenta, peditum & equitum cohortes aliquot. Colonienſis etiam in caſtra fuit profectus, communicandi cauſâ conſilij, neqúe multó poſt urbs fuit aliquot locis oppugnata: quum autem ejus per vim capiundæ ſpes nulla ſuper eſſet, ſeptem fuerunt exſtructa circum caſtella ſeu propugnacula, tollendi cauſâ commeatûs, cum ſingulis peditum ſignis & cohortibus aliquot equitum, qui ibi eſſent in hybernis, &c. Sed fruſtrà oppugnatio iſto pacto tentata fuit: ut idem *pag.* 273. addit.

Hermãnus Epiſcop. Colonienſis.

Iohannes Dux Clivenſis.

3. *Nonnulli* Philechthroos *conniventes*] Dicitur *Philechthroos* ad aliquid connivere, qui fovendis inimicitijs inter partes gaudet quod Diaboli ejuſqúe aſſeclarum proprium eſt: qui idcircó à noſtratibus **een ſchadenfroe** dici ſolet.

4. *Princeps Saxoniæ Elector*] Fuit is *Iohannes*

Fridericus, Principis Clivensis Iohannis gener: qui ultro se PP. oppugnatoribus hujus Anabaptistici regni conjunxit: ut refert *Sleidan. ibidem pag. 276.*

§. *Omnes fere PP. Germaniæ*] Quia enim Episcopus à vicinis Principibus atque civitatibus, quæ sunt Rhenanæ provinciæ auxilia petierat, conventu ab ijs *Confluentiæ*, ejus rei gratiâ, ad diem 13. Decemb. anni M. D. XXXIV. indicto, eidem equites CCC. peditum xvii millia, in sex menses ex communi decreto suppeditarentur, sub duce *Wirichbo Comite Oberstenio*, qui toti quoque bello præfectus fuit; eodem Sleidano testante, *l. d. pag. 272. & 276.* Pauloque post ditiones Principis Clivensis largiter contribuerunt de suo ad nidi ejusdem Anabaptistici expugnationem, Comitijs *Essendiæ* ob id indictis, ad quæ Ordines ac civitates Clivensis Ducatûs & Marchiæ Comitatûs convenêre; in quibus recessum fuit; quum Ducatus Iuliacensis ac Montensis bis mille & quingentos aureos suppeditaturus esset, ut Clivenses undecim-mille ac quingentos, Marchici verò bis sex mille aureos florenos conferrent: In quibus speciatim id quoque cautum fuit; ut quicquid summarum diuquum ijsdem Ecclesiastici pro sua portione suppeditaturi essent, peculiariter Illustrissimo Principi cederet, ad expeditionem illam enavigandam: sicut aliquando ex *Archivis Westphalicis* fusius de anno M. D. XXXV. observavimus, ubi ipse die Martis post Viti & Modesti, de hoc in Amplissimo Senatus conventu relatum est.

VViricho Comes Oberstenius.

Comitia Essendiæ indicta.

CAP.

CAP. X.

Sed ad Epitaſin reverter: 1. Circa Calend. Octobris, quum jam ab oppugnatione, ut dixi, ceſſatum, 2. Propheta illo Elias queſtus eſt; Spiritum Prophetiæ ſibi ereptum, atque aurifabrum neſcio quem tranſlatum. 3. Iſque Eliſæus meus ad Prophetæ munus arreptus, mutuum ut dolicet muli ſcabentes, vaticinantem priorem illum Prophetam ex Patris mandato evocandum Regem Symium, cujus dominationi Pater paucos intra dies non ſolum vicinas circumquaque regiones, verum etiam totius orbis imperium additurus eſſet. Nec mora, quin oracula prodirent in Regem exhiberent, ſubitoque hallucinatio in Monarchiam mutata novam Reipubli æformam exhibebat. Novus Rex, nova lex. 4. At primo Regiæ aulæ officia deſponſantur inſtituitur Præfectus prætorii, præpoſitus cubiculi, ſpatharii, apparitores & tanta majeſtatis munia: addunter ſceptra, diademata, trabea, purpureum regium: Et, 5. ne aſquam Salomonis diſſimilis eſſet, Concubinarum non minus quindecim. 6. Faciunt quæ prius ad pedes

Apostolorum, hoc est XII. Virorum deponebantur, jam viritim distribuuntur. Callidum, Hercule, Impostorum præstigium: neque enim compendiosior ad tyrannidem facultatumque occupationem, quo illi spectant Pseudomantes, via excogitari poterat. 7. Qui cum Tragico oc Rege, dum adhuc Iohannes Leidensis esset vestiarius & Scurra vaserrimus, consuetudinem habuerunt, eundem ad comminiscendas Impostoras mirum artificem ac veluti natum affirmabant: alij institorem apud Leidam Hollandiæ Vrbem, unde ortum ajunt, alij Pornoboskon, nonnulli militem gregarium: verum militasse nunquam, ipse postea ab eo audivi. Nam dum ad Principem meum captivus deduceretur, rogatusque de propositi sui initijs, audivi referentem 8. quo pacto Spiritu ac visu admonitus Monasterium petijsset. Nam hic cælestem Hierosolymam futuram, sequi illic mira præstiturum. Et quo certus eâ de re fieret, in itinere 9. ad domum Krechtingi diverterit, in quâ famulam decumbentẽ sanitati restituturus esset. Quod sic, dum Monasterium contenderet, evenisse affirmabat. Atque ubi eó perveniisset, in cubiculo forte solus existens 10. prævideritin Spiritu fabrum argentarium, qui ex Hollandiâ secum appu-

appulerat ibidem (cujus uxorem formâ præſtantem de perire ſolebat) in conflictu ante portam occidi, admonituſque viſu, ejus uxorem ſibi deſponſandam; id quoque ſic accidiſſe. Quæ certa vocationis ſuæ divinitùs factæ ſigna proferebat, perque hos honorum ac dignitatum gradus ad hoc faſtigium regiæ dignitatis ſe conſcendiſſe ajebat, juxta illud.

Si fortuna velit, fiam de Rhetore Conſul.

Hypomnemata & Notæ.

1. *Circa Calend. Octobr.*] Hic Hereſbachius à Sleidano & Bullingero in tempore deſignando diſſentit, in re planè convenit. Illi enim hoc ad octavum Calend. Iulias accidiſſe ſcribunt: hic verò circa Calend. Octob. Omnes in eo conveniunt, id factum *poſt fruſtrà tentatam oppugnationem*, ut Sleidanus ait, ſive *quum jam ab oppugnatione fuit ceſſatum*, ut Scribit Hereſbachius. Niſi forté ad 8. Calend. Iulias Pſeudo-Elias ille, nempe *Iohannes Becoldus Leidenſis* cum ſocio Pſeudo-Eliſeo aurifabro, *Iohanne Tuiſcoſchürerio Warendorpio*, Impoſturæ ſuæ initia jecit, ad regnum viâ paratâ, quæ circa Octobrem pro voto demùm obtinuit, ut hic Propheta, ipſe verò Rex in hoc novo regno à cunctis haberetur: quod ex ſeqq. veriſimile apparet.

Conciliatio authorum Hiſtoriæ Monaſterienſis.

2. *Propheta ille*] De hoc sic *Sleidanus lib.* 10. *pag.* mihi 273. Post frustrà tentatam oppugnationem, *Iohannes Leidensis* ad quietem sese componit & totum triduum somniat: expergefactus nullum verbum facit, sed chartam poscit in eâque xij. Viros describit, & in his aliquot nobili genere natos, qui summæ rerum præessent, & tanquam in Israële gubernarent: hanc enim Patris voluntatem esse dicebat. Porró (ut id obiter addam) nomina xij. Virorum seu Ducum Regis hæc sunt. 1. *Bernardus zumznoeren* Sartor. 2. *Iohannes Redecker*, Sutor. 3. *Iohannes Palck*, faber ferri. 4. *Iohannes Denckerus Mercator*, cui Electoratus Saxoniæ à Rege attributus erat. 5. *Engelbertus Edinck*. 6. *Nicolaus Trippius*, Mercator. 7. *Henricus Santes*, faber cuprarius Wesalienſis. 8. *Iohannes Schweertfegher*. 9. *Henricus Kock*, Osnabrugensis. 10. *Hermannus Reinickius*. 11. *Christianus Kerckerinck* Nobilis Monasterienſis, cui Comitatus Teclaburgicus circa trium Regum à Rege assignatus fortè erat. 12. *Præter Leidensis*, **der Schutthers van Leiden**: teste *Henrico Dorpio* cive quondam Monasterienſi in Historiâ Anabaptistica. Quum autem hoc pacto ad regnum viam sibi paratam Impostor videret, onagrum hunc Westphalicum *Tuiscoschürerium*, Prophetam constituit, qui suo enthusiastico ruditu eum regem proclamaret: atque hinc est, quód Spiritum Propheticum sibi ereptum illementiretur, adque hunc aurifabrum translatum, sicut Author Epistolę hic meminit.

xij. Viri Regimini Anabaptico Monasterienſi præfecti.

Henricus Dorpius.

3. *Isque Eliſæus mox ad Prophetiæ munus*] De hoc

hoc ſic *Sleidanus l. d.* & *Bullinger. lib. 2. pag. 56. b.* Oritur Propheta novus (inquit) auctex. Is convocatâ in forum multitudine, commemorat Patris cæleſtis hoc eſſe mandatum, ut imperium totius orbis terrarum *Iohannes Leidenſis* obtineat, ut cum validiſſimis copijs egreſſus, reges atque Principes omneis promiſcuè interficiat, & multitudini ſolùm parcat ijs videl. qui juſtitiam ament; utque ſedem Patris ſui Davidis poſſideat, donec regnum Pater ab ipſo repetat: oppreſſis etiam impijs, regnaturos eſſe pios in hac ipſâ vitâ. His rebus palàm pronunciatis, continuò *Iohannes Leidenſis* in genua procumbit, & ſublatis ad cælum manibus, Per multos, inquit, dies (nempe ante dies decem, ut *Bullingerus d. l.* commemorat) hæc mihi res comperta fuit, viri fratres: neque tamen eam divulgare volui. Nam fidei faciendæ cauſâ Pater alio eſt uſus adminiſtro. Atque ſic (ut *Bullingerus* addit) ſe invitum regnum ſuſcipere ſimulat, ſuſcipit tamen. Miſeri verò homines ſtupidi adſtabant, & ſe turpiſſimè ab improbis his nebulonibus ſeduci patiebantur: quòd ſi qui dolum animadverterent, metu ſilebant. Nam horum nebulonum eò major erat authoritas, quòd exercitus, qui urbem obſidione cingebat, aliquoties fruſtrâ oppugnationem tentârat.

Ioh Tuiſcoſchurer Propheta Anabaptiſticus.

4. *Ac primò Regiæ aulæ officia*] Referunt de eo ſic *Sleidanus, pag. 274.* & *Bullingerus, pag. 57. a.* Sic ergo Rex factus *Iohannes Leidenſis* Sartor, illicò 12. Viros abrogat, & pro conſuetudine Regum deligit ſibi proceres, coronas etiam duas, & vaginam, & torquem & ſceptrum, &

Diademata Regia Anabaptiſtarum Regis.

alia id genus ornamenta sibi parari jubet ex auro lectissimo. Vide quæ prolixè *Bullingerus d.l.* addit.

5. *Ne usquam Salomoni dissimilis*] De Salomonis Polygamiâ vide 1. *Reg.* 11. 1. 2. 3. Quæ veró hic de XV. Concubinis Iohannis Regis Monasterienſis Heresbachius refert, de ijs *Sleidanus* non meminit, nisi quod anté ternas simul uxores eum duxisse ait, pag. 273. Præterit id etiam *Bullingerus:* sed *Guido de Bres, lib. 1, cap. 3.* Heresbachio suffragatur. Porrò primaria inter has, nempe Regina fuit *Elisa* seu Elsa **Gewantscherers** cognomine dicta.

2. Reg. 11. 1. 2. 3. Concubinę Regis Anabaptistarum.

Regina Anabaptistica.

6. *Facultates, quæ prius ad pedes*] De hoc facto eorum cæteri silent.

7. *Qui cum Tragico hoc rege*] Et de hoc apud cæteros altum silentium est.

8. *Quo pacto Spiritu admonitus*] Tacent quoque de hoc alij.

B Krechtiag.

9. *Ad domum Krechtingi*] Bernardus Krechting Vir nobili genere natus, præcipuus Anabaptistarum, Consiliariusque regius in hoc novo regno, cujus etiam meminit *Bullingerus lib. 2. c. 8. pag.* mihi 54.

Ioh. Matthię Enthusiasta.

10. *Præviderit fabrum argentarium*] Is *Iohannes Matthiæ* dictus fuit, Enthusiasta insignis, de quo vide *Sleidanum pag. 272. & Bullinger. lib. 2, c. 9. pag. 55, b.* & *Guidon, lib. 1, cap. 3.* De hujus morte omnes referunt, quòd dum armis correptis instar furiosi in hostes, irrueret, à milite Misnico confossus sit.

CAP.

CAP. XI.

PORRO Rex, novo hoc imperio ſuſcepto, 1. Dominicam Cænam veluti regni comitia in areâ campeſtri, quæ eſt ante cathedrale templum indicit: 2. quo univerſi regio edicto obtemperantes confluunt. 3. Rex ipſe ſublimis inſigni equo inſidens trabeâ aureâ, ſceptro, diademate auro gemmiſque miri pretij, breviter, regio ſplendore aceedit exornatus; 4. qualem Judæi ſuum Meſſiam venturum fingunt, non minus ſexaginta equitibus ſtipatus: ut à captivis ac profugis cognitum. Concione illic habita primùm rogat: num omnes pro morte Domini annunciandâ parati ſint afflictionem ſubire? Acclamantibus in apertiſſimâ areâ cunctis, 5. Rex accumbentes circumiens, tandem è medio apprehenſum quendam, cujus, ut ipſe inquiebat, cor rectum non eßet, neque veſte indutum nuptiali, enſe caput Autocheiria ferit, Regis ſimul & carnificis munere perfungens. Quanquam idem & Prophetam agens jam pridem gaudebat hac ad tyrannidem proludere operâ, & ſi qua ſiniſtra in aliquẽ ſuſpicio ei eſſet, hunc continuo bombardâ trajiciebat. 6. Tametſi gladij animadverſio peculiariter Knipperdolingio poximo à rege principi

cor-

concredita fuit. Attamen si quando hic impediretur, Rex ipse, videl. hujus Israëlitici populi Moses, eundem lubens sublevabat. Unde factum, ut, Knipperdolingio suppliciorum præfecto agrotante, 7. Rex quum in unam è suis uxoribus animadverti vellet, ipse absente Knipperdolingio hoc paricidij subiret. Neque hoc aliter excusabat coram Principe nostro, me cum multis aulicis ac toto gynæceo auscultante, quàm quod uxor profugere voluisset, deprehensa fuerit, & Knipperdolingij vices neminem præter unum regem subire posse. Iam ad Cænam redeo. Hoc igitur Carnificij, hoc est, Caritatis Symbolo exhibito, ad Sacro-Sanctam Cænam, prope dixeram lanienam, ipse sublimiori nempe regio solio adsidebat, splendore majestatis stupendus. Cæterùm 8. Cænâ peracta, deliguntur XXVIII. veluti Apostoli, qui per quatuor Urbis portas, ceu quatuor mundi regiones in totidem vicinas urbes, hoc est, orbem universum ad sacrum Anabaptismum annunciandum ablegantur: accessuras nempe propinquas quasque regiones novo regi 9. Elisæus ille, ut dixi, vaticenatus fuit. 10. Atqui oraculum illud Tantæs tæs pseudomanteias Apostolis his infeliciter cessit. Nam simulatque urbes ipsas, ad quas ablegebantur,

ingressi

ingreſſi fuerant, capti omnes; ſupplicio afficiuntur. Octo ex illis Zuzatum miſſi: id oppidum eſt in Comitatu Marciæ, Principi meo ſubjectum, ipſo Monaſterio amplitudine ac munitionibus, adde opulentiâ etiam non inferius. Ejus oppidi cives quanquam & ipſi religionem citra Principis & magiſtratus authoritatem, novârant, uti alius te intellexiſſe arbitror: Monaſterienſium tamen ſucceſſu & exemplo primores moniti hos Pſeudoapoſtolos mox urbem ingreſſos, ante quàm populum concitarent, comprehenſos ſuſtulerunt, ſpemque præbent à ſincerâ verbi diſciplinâ non recedendi. Reliquis Apoſtolis apud alias civitates, ad quas miſſi fuerunt, nihilo melius ſucceſſit, adeo ut nullus elaberetur. 11. Irrepſerant & alij emiſſarij Leodium, Trajectum, Amſterodamum, Coloniam, præcipuas univerſæ inferioris Germaniæ Civitates; quarum ſi unam adhuc occupaſſent, jam actum fuiſſet de Germaniâ, imo de ipſâ Europâ; ita univerſus ubique populus ad ejus factionis auram capita erigere cæpit. 12. Coloniæ ſunt XXIV. opificum collegia, quæ Zunftas vocant, in his ſingulis quoſdam ſubornarunt, qui ſuos Zuntechnous ad tàm præclarum propoſitum animarent. Decretumque erat Martinalibus

bus proximis (in quo festo Pythœgia religiosè in his regionibus celebrantur vulgo) tumultu excitato potentiores cives atque Ecclesiasticos opprimere: Sed singulari Domini Servatoris benignitate, illorum insidiæ patefactæ, & nonnulli deprehensi maleque mulctati sunt: plerique fugâ sibi consuluerunt. Vides, quo zelo dogmata illa sua sacro-sancta propagare studeant Anabaptistæ, nihil apertè vel scripto vel prædicatione agentes. Nam homines ferè sunt indocti, solum Spiritum jactantes, Scripturasque carptim degustantes: sed lucem refugientes, in criptis passim & cavernis, horreis, penuarijs, per fucos, imposturas, præstigias vanaque somnia, nihil aliud quàm seditiones, proditiones cruentasque cades excitant, civitates violenter occupant, cives possessionibus nudant; uxores, liberos, invitis maritis ac parentibus abducunt. 13. *Si quidem his modis novo huic populo Israëlitico convenire, Moabitas, Philistæos atque Madianitas circumvenire, fallere, decipere, lædere ac denique radicitus exstirpare: nam sibi gladium vindictæ traditum,* 14. *ducente hoc novo Josue.*

Hypom-

Hypomnemata & Notæ.

1. *Dominicam Cænam Rex indicit*] Factum id mense Augusto, circa diem Bartholomæo Apostolo sacrum, qui 24. dicti mensis die à nonnullis celebratur. Tum novus ille Propheta *Tuiscoschürerius*, cujus nuper memini, tubâ canit per omnes vias & ad Cænam hanc singulos regnicolas invitat, sic tamen, ut nonnisi armati compareant, utpote ad profligandum hostem accincti Vide *Bull. lib. 2. cap. 10. pag. 58. a.* & *Sleid pag. 274.* Cæna Anabaptistica. Invitatio ad eam per tubam.

2. *Quo universi regio edicto obtemp. confluunt*] Nempe ad millia, quatuor, qui ad Regis jussum discubuére, & adhuc mille, qui reliquis discumbentibus excubias egerant, ut ijdem authores referunt. Convivæ quot ad eam confluxerint.

3. *Rex ipse sublimis insigni equo*] Quâ pompâ Rex usus sit, in publicum prodiens; id *Sleidanus* & *Bullingerus* prolixè diligenterque referunt: videl. si quando rex pro majestate regiâ in publicum prodiret, comitatus erat suis Officiarijs & Proceribus domosticis: duo juvenes, aulico more eleganter vestiti, utrinque illi latera claudebant: quorum alter ensem, cujus manubrium nodis aureis & gẽmis eleganter ornatum erat; alter coronã auream & Bibliorum volumen gemmis etiã & auro affabrè factum gestabat. Collo catenam aureã, singulari quadã gemmâ visendâ gestabat, & globum aureum orbis simulacrum referentẽ duobus ensibus decussatim transfixum: cum hac inscriptione: Rex justitiæ super terram; sceptrum ejus tres ex auro annuli cingebant. E qui ejus auro, argento & holoriserico sumtuosissimè ornati Pompa Regia Regis Convivatoris.

erant:

erant: calcarea item gestabat aurea. Porro satellites ipsum comitantes, numero XXVIII. erant, vestiti quoque more aulico, veste viridis & cinerei coloris, alba habentes capitis tegumenta. Breviter, *nihil non regium*, ut *Heresbachius* loquitur. Rex vero, ad hanc solennem Cænam splendidiori comitatu profectus fuit, stipatus videl. equitibus LX. ut idem hic refert.

Rex & Regina Cænę Anabaptisticę administratores.

In Cænâ quoque Rex & Regina cum suis domesticis ministravit; peractâ jam ferè Cæna, Rex ipse panem azymum singulis porrexit his verbis: *Accipite, comedite, annunciate mortem Domini.* Regina eadem dicens, poculum administravit, *Bibite*, inquiens, *& annunciate mortem Domini.* Atque hæc Cæna Anabaptistica fuit.

Messias Iudęorum fictitius.

4. *Qualem Iudæi suum Messiam venturum fingunt*] Iudæi enim Messiam suum (quemadmodum ex varijs illorum scriptis constat) ex Davidis stirpe oriundum Regem & Monarcham fore mundanum somniant: qui aliorum Regum filias sibi in matrimonium accepturus, populum Israëliticum nunc dispersum undiquaque collecturus, & in terram suam reducturus sit. Ibi futurum, ut convivium ingens & mirandum suis præbeat, regnaque alia sibi subjiciat, &c. ut notat *Abdias Widmarius* in Disput. de vero Messiâ adversus Iudæos, *Disput. 2. vers. 2. Pag. 29. & vers. 71. Pag. 53.*

Abdias VVidmarius.

Rex Convivas lustrat.

5. *Rex accumbentes circumiens*] Hanc rem *Sleidanus* Paulo aliter refert. Ait enim, inter cænandum consurrexisse Regem, dixisseque, sibi quidpiam esse negotij, quod Pater mandârit; quum-

rit? quumque fortè miles quidam captivus eſſet, hunc proditionis ut alterum Iudam eum inſimulâſſe ſuâque manu decollâſſe. Author epiſtolæ verò eum more Regis illius, de quo parabola Euangelica, *Matth.* 22, 11. refert, unum convivarum ſuorum excepiſſe tradit. Matth. 22. 11.

6. *Tametſi gladij animadverſio*] De hoc ita *Sleidanus pag.* 172. His ipſis ferè diebus *Iohannes Leidenſis* gladium tradit *Knipperdolingo* carnificemque eum conſtituit. Sic enim viſum eſſe Deo, ut qui ſummum antea magiſtratum geſſerit & Conſul fuerit, nunc infimum locum obtineat, & ſit carnifex: ille minimè recuſans, gratum etiam habuit delatum munus. Hæc ille. B. Knipperdolingus carnifex.

7. *Quum Rex in unam è ſuis uxoribus*] De quo idem *Sleidanus pag.* 278. ſic commemorat: Ingraveſcente annonâ per urbem, Februario menſe, ſic ut nonnullis etiam fame ac rerum inopiâ pereundum eſſet; quæpiam ex Reginis miſerata vicem populi, fortè ad alias dixit, non putare ſe, Deum hoc velle, ut ad hunc modum homines inediâ conſumantur. Rex, ubi reſcivit, in forum illam producit, & unà reliquas omneis, & in genua conſidere juſſam capite plectit, & mortuam ignomina notat, uti ſcortum eo facto, reliquæ concinunt: *Gloria Deo in excelſis* &c. & Patri cæleſti gratias agunt: deinde choream Rex ducit: multitudinem etiam, cui præter panem atque ſalem nihil jam erat reliqui, ad ſaltationem atque lætitiam cohortatur. Idem tradit *Laur. Surius* in *Hiſtoriâ ſuâ*, *fol.* mihi 148. Rex unam é Reginis capite plectit. Chorea Regia. L. Surius.

Apostoli Anabaptistici emittuntur.

8. *Cænâ peractâ, deliguntur XXVIII Apostoli*] Res hæc sic à reliquis Scriptoribus narratur: Peractâ Cænâ, Propheta *Tuiscoschürerius* suggestum conscendit & percontatur, num omnes Dei verbo morem gerere velint? Annuentibus cunctis, ait eam esse Patris voluntatem cælitùs sibi patefactam, ut in quatuor orbis plagas dimittantur ex urbe, qui doctrinam, quam ipsi essent amplexi, disseminarent. Deinde è schedâ nominatim recensentur ad viginti octo, è quibus sex *Osnabrugam*, octo *Coeffeldiam*; octo *Zusatum*, sex verò *Warendorpium* jussi sunt petere. Nomina Apostolorum *Osnabrugam* missorum hæc sunt:

Eorum nomina.

1. *Dionysius à Vynen.*
2. *Petrus Ruperti.*
3. *Henricus van Graes.*
4. *Iohannes Bondorpius.*
5. *Paulus Schwerinck unimanus.*
6. *Iohannes Scheeper.*

Coeffeldiam missi hi fuerunt:

1. *Iacobus van den Grave.*
2. *Hermannus Parochus novi templi Warendorpij.*
3. *Iohannes Sacellanus ad D. Martini Monasterij.*
4. *Iulius Friese Archiepiscopus Anabaptist. Monasterij.*
5. *Bernardus Fockius.*
6. *David de Wale.*
7. *Iohannes de Vltrajecto, Cathedral, Eccles. Vltrajectensis Canonicus.*

8. *Et*

8. *Et quidam anonymus.*

Zuſatum miſſi fuerunt ſequentes.

1. *Henricus Schlachtſchaep.*
2. *Henricus Gochenſis.*
3. *Iohannes Tuiſcoſchürerius Propheta.*
4. *Hermannus Kerckerinck.*
5. *Laurentius Frieſe.*
6. }
7. } *anonymi.*
8. }

Apoſtoli *Warendorpium* miſſi fuerunt iſti.

1. *Iohannes Kloprijs.*
2. *Godofridus à Stralen.*
3. *Henricus Vmme* (aliâs *Omen*) *Gravienſis.*
4. *Antonius Teſſchemacker.*
5. }
6. } anonymi.

Deinde Rex & Regina *Eliſa* cum reliquis miniſtris & Apoſtolis ad profectionem deſignatis, cænatum abeunt. Pòſt dimittuntur illi portentoſi Apoſtoli, quibus ſingulis ſinguli nummi aurei à rege erant attributi, præter ea quæ eſſent victui parando neceſſaria, ut eos ijs locis, ubi illorum non eſſet recepta doctrina, in perditionis teſtimonium relinquerent. Itaque hi egreſſi, ad locum ſuum quiſque abeunt, & in urbium ad quas veniſſent plateis ſtentoreâ voce clamant: *Pœnitentiam agite: etenim ſecuris ad radicem arboris admota eſt: Sin pœnitentiam non egeritis, neque rebaptizati fueritis funditus omnes ad internecionem uſque peribitis.* Curiam quoque ſive prætorium adeunt, coram magiſtratu veſtem humi

Quomodo Apoſtoli Anabaptiſtę demiſſi ſint.

Quibus vocibus & ceræmonijs Apoſtoli illi Anabaptiſmum publicârint.

humi expandunt, in eam aureum nummum quẽ diximus, conjiciunt, à Patre, pacis annunciandæ causâ, missos se testantur: quam si recipere velint, jubent facultates suas omnes in commune conferre: sin minus, hoc se nummo contestari, quod pacem oblatam repudiârint. Iam enim venisse tempus illud à prophetis omnibus prædictum, quo Deus toto orbe velit coli justitiam: & quum Rex, suo functus officio, in orbem universum justitiam propagârit, tum Christum traditurum regnum Patri suo. Addebant etiam, à Christi & Apostolorum temporibus Verbum Dei purè non fuisse traditum: nunc autem duos veros Propheras exortos esse, per quos veritas mundo restituatur, *Iohannem Leidensem* regem & *Davidem Georgij Delfensem*: totidem impios & falsos Prophetas esse, Papam Romanum & Lutherum, qui Papâ multis partibus sit pestilentior. Vide *Sleidan. lib.* 10. *pag.* 274. *Bullinger. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 58. & *Surium fol.* 184. *&c.*

Iohannes Leidensis. David Georgij Delfensis.

9. *Elisæus ille*] Is fuit *Iohannes Tuiscoschüterius*, ut *cap.* 10. *not.* 1. 2. *&* 3. ostendi.

10. *Atqui oraculum illud Tautæs tæs pseudomanteias*] Totius illius falsi vaticinij oraculum à falso Prophetâ isto Regi suggestum de universo terrarum orbe ipsi subjiciendo, Legatis illis fatale ac funestum fuit. Capti enim sunt, & primùm amicè ac blande, deinde per tormenta de suâ fide atque vitâ, deque urbis munitione alijsque quibusdam rogati, tandemque de seditione convicti capitali supplicio affecti sunt omnes præter unum, qui evasit, & ad suos in urbem redijt:

Exitus Anabaptismi Legatorũ funestas.

redijt: pront *Sleidanus pag. 276. Bullinger. lib. 2. cap. 10. pag. 58. a.* & *Surius fol. 184.* referunt.

11. *Irrepſerant & alij emiſſarij Leodium &c.*] Id ſuaſu alterius Pſeudoprophetæ, *Henrici Hilverſumij* haud dubio factum, de quo *Bullingerus ibidem pag. 59. a.* ait, quòd is ceu homo improbus & verſutus regi & populo nunciârit, cælitùs eſſe ſibi à Patre patefactum, tres urbes opulentas cum omnibus ipſarum fortunis, ipſis à Deo datas eſſe, *Amſtelredamum*, *Daventriam* & *Weſaliam ad Lippiam flumen*. Rex nuncio hoc audito, confeſtim cum ſuis deliberat, qua ratione certis hominibus illûc miſſis, eas in Anabaptiſmum perducat: ac primum *Iacobum Campenſem Amſtelrodamum* mittit, quem ejus urbis principem eſſe jubet: huic comitem addit *Iohannem Matthiæ Middelburgenſem*. Hi in Hollandiam profecti, clam latent apud ſuæ factionis homines: interea tamen multos homines pravis dogmatibus inficiunt, rebaptizant & nocturnos conventus habent. Quin etiam incendium hoc per vicinas urbes ſpargunt. Nam *Leidæ* menſe Ianuario ſequentis anni M, D, XXXV. multi propter Anabaptiſmum, & prava atque ſeditioſa conſilia capitali ſupplicio affecti ſunt. Idem quoque *Weſaliæ* accidit, ut cap. VIII. not. 3. proximè oſtendi.

H. Hilverſumius.

Ejuſdem impoſtura.

Iac. Campenſis.

Ioh. Matthiæ.

12. *Coloniæ &c. quoſdam ſubornârunt*] De hoc Anabaptiſtarum conatu cæteri tacent.

13. *Siquidem novo huic populo Iſraëlitico convenire*] Hûc reſpexit *Liber Reſtitutionis*, quem de ſua authoritate & doctrina, durante obſidione

Reſtitutionis Liber

ab Anabaptistis editus.

Anabaptistæ ediderunt, & ad *Philippum Hassiæ Landgravium* miserunt, cujus summam *Sleidanus lib.* 10. *pag.* 274. refert: necnon Captivorum Apostolorum Monasterienſium confessio: Interrogati enim (ut idem pag. 275. addit) cur homines innocentes præter fidem datam ex urbe profligârint, ipsorum occupatis bonis uxoribus atque liberis, & quo Scripturæ loco suam hanc justitiam velint defendere? Iam tempus illud adesse dicunt, quo fore Christus dixerit, ut mi-
Matth. 5. 5. tes terram possideant. *Matth.* 5. 5. Sic Ægyptiorum bona Deum Israëlitis olim dedisse.
Exod. 12. 35. 36. *Exod.* 12. 35. 36.

14. *Ducente hoc novo Iosue*] nempe *Iohanne Becoldo Leidensi* Rege Sartorio, quem potiùs Alcimo, Theudæ ac Mosi Cretensi, quàm Iosuæ assimulaveris.

CAP. XII.

SED prolixior fortè tibi fuero, si omnia ad plenum enarrare studeam, & Iliade opus esset, neque minoris negotij, quàm bellum Trojanum aut Hierosolymitanum. 1. *Quare recisis multis ad ipsam Tragadiæ Catastrophen properabo. Jam enim nonus propè mensis obsidionis est, & quum prior Anarchia vel Oligarchia in Monarchiam translata esset, ut commeatus contractior redderetur, ad privatam rursus distributionem res redierunt.* 2. *Hanc leoninam dixis-*

ses socie-

ſes ſocietatem: ſiquidem Rex kai hoi amphi ton Baſiléa regio largoque apparatu ſibi proſpexerant: vulgo parcius, uti par erat, diſtribuebatur dimenſum. Nequis autem iniquâ hac partitione & gliſcente tyrannide obmurmurare vel auſit, vel ſeditio aliqua excitari poſſit (ut in hujuſmodi negotijs fieri ſolet) 3. cautum, ne populus uſquam conventicula coire aut ſecretó colloqui poßet, ſed ſuis quiſque locis, laboribus diſtineretur, neque loco præſtituto pedem dimovere auſit quiſquam citra tribuni in hoc conſtituti authoritatem. Quod ſi qui ſeorſim colloqui tentâßent, continuo per corycæos undique præpoſitos deferuntur adque ſupplicium rapiuntur. Et quo firmior tyrannis eßet, 4. Rex XII. creavit Duces, quibus primùm in regno ſuo ducatus deſignat, póſt accidentibus alijs vicinis regionibus, amplioribus ditionibus auctturus. 5. Singulis inſignia collo ſuſpendit numiſmata, illius videl. dignitatis authoramenta. Enimvero 6. prorogatâ obſidione diutius opinione, ac ſpe auxiliorum eluſo vulgo commeatus deficere cæpit: 7. ac primùm equinis carnibus & herbarum radicibus victitabatur: aliquamdiu cæteris parúm tamen veſcis cibis inediæ occurrerunt, veluti canibus, gliribus, catis: quibus ubique conſumtis 8. etiam coria, membranas

aquâ maceratas minutimque concisas cum oleribus pro obsonijs esitâsse, compertum est. Nam is apparatus & hædelitiæ urbe jam expugnatâ in nobilium quorundam ædibus mihi probè notis reperiebantur. 9. Ad Saguntinam vel 10. Hierosolymytanam famem spectare res videbantur, nisi æstatis initio recurrente, seminibus jactis herbæ passim subnascentes, famelicos sustentâssent. Ac ne ullâ ex parte excidium novæ hujus Zyon cum Palestinâ Hierosolymâ non adæquaretur, infantium pedes ac manus in salsamentis à militibus ad prædam occupatâ urbe discurrentibus inventas ferunt. Deum immortalem, nondum ne certam in nos Dei iram extremaque flagella agnoscimus! Quid cogitari potuit vel apud Schytas immanius audituque magis horrendum? 11. Rex interim & Rotmannus & Knipperdolingius reperti sunt commoda satis penu instructi: Fraterna scil. hæc communitas. In hacigitur rerum conditione Rex, inedia vulgi atrocius ingruente, potestatem fecit ijs qui vellent exirent, simul ut & inutili ac semiviva turba liberaretur, & ipse cum paucioribus uberiore commeatu diutius frueretur. 12. Continuo igitur innumerosus mulierum grex cum infantibus prodibat. Nihil tamen efferre eis licebat, adeo ut etiam vestimentis

præter

præter interulas ſpoliarentur. Viri parcius abire, quod illi primo ſtatim impetu ab obſidentibus jugularentur: mulieres autem cum infantibus prodeuntes in urbem reverti milites nequaquam potuerunt cogere; ut que ultro ſe ad occiſionem, offerrent potius, quàm ad diuturnam miſerrimamque mortem reverti. Siquidem inter omnia mortis genera calamitoſiſſimum fame mori, vel 13. Humero teſte, Linoo thanein oiktilton. Vidiſſes horrendum corporum habitum, pleroſque à feſto Reſurrectionis ad Pentecoſten uſque panem non guſtaſſe, ſicque inedia ac malo cibo debilitatos deformatoſque ut ſemimortua buſta verius, quàm homines apparerent, facie cadaveroſo pallore confecta, ventre tumido, membris luridis, pedibus vix conſiſtentibus. Vbi panem guſtare cæpiſſent, plerique conciderunt enecti. Mulieres (quia neque interimabantur, neque in urbem repelli poterant) intra mœnia obſidentiumque caſtra concluſas, ad extremum eo propulerat fames, ut infantes ab uberibus detrahentes, ad pedes militum mitterent, obſecrantes, ut ſe unà cum infantibus occidentes miſeriâ liberarent. Pueri paſſim alendi à militibus recepti plerique, & mulieres quoque Ducum commiſeratione tandem dimiſſæ in vicinas urbes & vicos ſe receperunt. Hæc ferè à feſto Pa-

sto Paschæ ad Pentecosten acciderunt. Antè subinde conflictatiunculis erumpentes Anabaptistæ cum obsidentibus, datâ acceptâque clade, congrediebantur, crebrisque tormentorum fulminibus non paucos ex hostibus sustulerunt: jam vero parcius & non nisi certa feriebant oppidani. 14. Habita nonnunquam colloquia, sed nihil proficientia. 15. Adornata fuerat & Judith, quæ Holofernum, hoc est, Episcopum Monasterienſem in castris tentaret, sed quia citra Domini, opinor, mandatum, susceptum propositum infaustum habuit successum. Nam indicio prodita, captiva servabatur in castris. Postremò fame domitore atrociùs apud obsessos ingruente, nostrâque decrescente, 16. raro admodum se proferre visi sunt, nisi quod identidem quidam profugi ex urbe errantes vel capti vel occisi. 17. Regem etiam ajunt tum de transferendâ in alium regia dignitate cogitâsse.

Hypommemata & Notæ.

1. Quare recisis multis] Consulat studiosus Lector de hisce Lambertum Hortensium, Sleidanum, Bullingerum ac Guidonem de Bres, qui pleraque recitant, quæ huc faciunt.

Societas Leonina Anabaptistarum.

2. Hanc leoninam dixisses societatem] Nempe inter eos, de quibus nuper Cap. IV. relatum fuit, quòd communionem bonorum jactantes, omnia in

nia in unum contulerant, culinaſque publicas, veluti *Suſſitia* & cænobia, per urbem Monaſterienſem inſtituerant. In quâ communione, miſera plebs fame propemodùm conſumta eſt, rege interim non ad neceſſitatem modó, ſed ad luxum etiam rebus omnibus abundante. Hanc veró Author epiſtolæ *Leoninam ſocietatem* dicit, alludens ſcil. ad tritum Apologum *Æſopi*, qui iſte eſt: *Cum ove quibuſdámque alijs animalibus pepigerat Leo, venationem fore communem. Itur venatum, capitur cervus, partiuntur: Singulas ſingulis partes tollere, ut convenerant, incipientibus, leo irrugijt. Vna, inquiens, pars mea eſt, quia ſum digniſſimus. Altera item mea eſt, quia viribus præſtantiſſimus. Porro quia in capiundo cervo plus ſudaverim, vendico tertiam. Quartam deniqúe partem ni conceſſeritis, actum eſt de amicitiâ. Socij hoc audito, diſcedunt vacui & taciti, non auſi mutire contra leonem.* Æſopi Apologios.

3. *Cantum, ne populus uſquam*] Hujus veſtigia exſtant in *Edicto Iohannis Leidenſis, artic. XII. & XIV.* quod ſub calce adjiciam. Cives enim nonnulli (ut *Sleidanus pag. 273.* meminit) quibus inſtitutum Regis *Iohannis* valde diſpliceret, dato ſigno per urbem, eos omneis, qui doctrinam Euangelij amarent, in forum convocant: deinde *Prophetam* & *Knipperdolingium* & doctores omnes comprehendunt. Quod ubi vulgus accepit, ad arma procurrunt, captivos illis extorquent, & ad quinquaginta circiter magno cum cruciatu interficiunt. Nam religatos ad arbores atque palos tormentis trajiciebant, acclamante Prophetâ primario, ut qui rem gra- Diſſidium civium Monaſterienſium, eorumque internecio.

rem gratam Deo facere vellent, primum telum emitterent: alij alio modo necabantur.

XII. Viri Duces Regis.

4. *Rex XII. creavit Duces*] Vide quæ cap. X. not. 2. de his Ducibus adduxi, quos nebulo iste subornârat, ut essent XII. Seniores in Israële, & *Monasterij* tanquam in novâ Hierusalem, cuncta suo arbitrio gubernarent, ut inquit *Bullingerus lib. 2. cap. 9. pag. 56. a.* Iisdem vero (addit *Sleidanus pag. 276.* ampliora multo pollicebatur, & rerum dominos ajebat futuros: nominatim vero, quam cuique provinciam, quas arces atque prædia daturus esset exponit. De quibus vide *Bullinger. lib. 2. cap. 11. pag. 60. b.* & *Guidon. de Bres, lib. 1. cap. 5. pag. 30. b.* &c.

Insignia Ducum.

5. *Singulis Insignia collo suspendit numismata*] Ait Guido ibid. pag. 33. a. effigiem Regis iisdem nummis impressam fuisse, tribus hisce literis additis, scil. D. W. F. quod idiomate Westphalico notabat Dat Woort Fleesch/ id

Ioh. 1. 14. est, *Verbum Caro factum* ex *Ioh. 1. 14.*

Nummi hujus ectypon hic contemplare geminum, quod mihi ostendit reverendus ac clarissimus Vir Dn. *Ecbertus Grim* SS. Theologiæ Licentiatus Anglicanę Ecclesię, quæ Christo Wesaliæ colligitur, minister, & Philosophię practicę in Illustri Gymnasio ibidem professor, sub literâ *A.* depictum: cujus Inscriptionis Vernaculę hic est sensus: *Nisi quis fuerit genitus ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Vnus Rex Iustus ubique. Sermo ille caro factus est.* Item, *Vnus Deus, una Fides, unum Baptisma. Monasterij. 1534.* Cui altera forma respondet, quam mihi subministravit Spectatissimus

Ioh 3. 5.

Ioh. 1. 14. Ephes. 4. 5.

ſimus ac humaniſſimus Vir, Dn, *Iohannes Oſnabrugenſis*, *Scabinus* ac Librę frumentarię Weſalienſis Præfectus digniſſimus, quæ hic ſub literâ *B.* exhibetur. Cujus Inſcriptio alteri ferè in omnibus reſpondet, niſi quód hæc verba: *V-*



nus Rex

B

nus Rex Iustus ubique; duoquo enſes decuſſatim in priori poſiti, in hoc nummo non exſtent.

6. *Prorogata Obſidione diutius opinione*] Promiſerat ſiquidem Rex toti multitudini, fore ut ad Paſcha

ad Paſcha liberentur ab obſidione ſimul & inopia, referente *Sleidano*, *pag.* 276. Quum vero veniſſet Paſcha, neque liberatio appareret ulla, Rex morbum ſimulat, poſt ſexto die in forum prodit ac refert, ſe liberationem pollicitum eſſe, quæ ſpiritualiter intelligenda ſit, ſic namque ipſos liberatos eſſe; *Viſum ſibi*, inquit, *cælitus à Patre patefactum, ſe aſino cæco inſidere, totiuſque multitudinis peccata ſibi Deum impoſuiſſe, hæc ſe portaſſe & abſtuliſſe; nunc itaque ipſos ab omni peccato* LIBEROS *eſſe*, eodem teſte, *pag.* 278, & *Bulling. cap.* 11, *lib.* 2. *pag.* 61, *a*, qui addit: Certè miſeri iſti-ipſi cæci aſini erant, quibus inſidebat dæmoniacus hic & deſperatus nebulo, ingens onus ſcelerum & flagitiorum, quem tamen nihilominus ipſi portabant & adorabant.

Rex fraſtra civibus Liberationem pollicetur. Ejuſdem impoſtura.

Anabaptiſtæ cæci aſini.

7. *Ac primum equinis carnibus*] Idem refert *Guido lib.* 1, *c.* 5. *pag.* 31, *a*. *Sleidanus* & *Bullingerus* in genere tantum ajunt, famem in urbe ſic excreviſſe, ut ea complures morerentur. Addit ibidem *Guido*, expugnata urbe duos duntaxat equos in eadem repertos fuiſſe.

Fames obſeſſorum Monaſterienſium quanta.

8. *Etiam coria*] Conſentit idem *Guido*, qui ait, eos quoque ex attritis calceis & omnis generis pellibus edulia ſibi feciſſe.

Quis eorum cibus.

9. *Ad Saguntinam famem*] Saguntum Hiſpaniæ oppidum Romanis ſocietate fœdereque conjunctum ab Annibale Carthaginenſium Duce obſidione cinctum & tandem expugnatum fuit. Saguntini verò quum victricibus Annibalis armis intra mœnia Vrbis ſuæ compulſi gravique fame preſſi, quum vim Punicam ulterius nequirent arcere; collatis in forum, quæ

Saguntina fames.

unicuique

vnicuique erant carissima, atque undique circumdatis accensisque ignis nutrimentis, ne à societate Romanorum desciscerent, publico & communi rogo semel-ipsi superiecerunt, referente *Valerio Max. lib. 6. cap. 6. d. penult.* ubi addit: Crediderim tum ipsam Fidem humana negocia spectantem mœstum gessisse vultum. Vnde proverbium, *Saguntina fames.* Hæc ex Valer. citat *Abr. Bucholtzerus in Indic. Chronol. pag. 59.* qui ait, hæc accidisse anno Vrbis cond. DXXXII. hoc est, ante natum Christum CCXVIII.

Valerius Maximus.

A. Becholtzerus.

Hierosolymitana fames.

10. *Hierosolymitanam famem*] Vrbs Hierosolyma aliquoties famem extremam sustinuit, inprimis vero tempore Regis Zidekiæ, quum obsidione à Nebucad Nezare Rege Babylonis premeretur & opprimeretur, quod factum anno DCVI. ante natum Christum, ex observatione ejusdem *Bucholtzeri in Indic. Chronol. pag. 25.* de quâ 2. *Reg. 25. 1, 2, 3.* & *Ierem. 52, 4. 5. 6.* & in Trenis passim exstat: tum quoque in extremo excidio, quo urbs à Tito funditus vastata fuit, anno LXXI. post natum Christum, cujus *Iosephus, Egesippus, C. Tacitus* alijque meminerunt. In utrâque verò obsidione accidit, quod Ieremias *Tren. 2. 20.* & *c. 4. 10.* conqueritur, ut matres *Storgæs* maternæ immemores, proprios fœtus mactarent ac comederent. Quod in excidio Monasterienси quoque factum Author Epistolæ hic refert: de quo *Sleidanus* & cæteri tacent, nisi quod *Guido lib. 1. cap. 5. pag. 32.* Obsessos neque à cadaveribus abhorruisse refert.

2. Reg. 25. 1. 2. 3. Ier. 52. 4. 5. 6.

Tren. 2. 20. Tren. 4. 10.

11. *Rex*

11. *Rex interim*] De hoc idem *Guido ibid.* ſic meminit: Rex in aulâ ſuâ penum ad duos menſes ducentis etiam robuſtis viris ſufficientem pro ſe & aulicis ſuis reconditam habebat, ſive, ut *Sleidanus lib.* 10. *pag.* 278. ait, Rex penum habebat inſtructam domi, non ad uſum modò neceſſarium, ſed etiam ad luxum.

12. *Continuò igitur innumeroſus mul. grex*] *Guido d.l. pag.* 31. *b.* de hoc ſic commemorat: Multi famis impatientes ultrò ad hoſtes confugiebant, non ut gratiam expeterent, ſed ut morte ſuâ calamitatem averterent. Multi etiam manibus genubuſque humi repentes fugam meditati ſunt, uſque adeó fame debilitati, ut erecti conſiſtere nequirent: quorum multa pars in viâ miſerè concidit. Horrendumque viſu fuit, miſeros hoſce vix oſſa cutemque trahentes incedere, eorumque auriculas, labra, maxillas ac nares emaciatas & pellucidas propè redditas. Quinimó ſic vires eorum languore attenuatæ ſunt ut ad propria corpora ſua ſuſtentanda non ſuffice-rent: haud pauci vero ad hoſtem abierunt ſine armis, bacillo ſolùm innixi. Hæc ille. Profugi ex urbe ad hoſtes ob famem. Squalor eorundem ac mæſta facies.

13. *Homero teſte*] Videl. *Odyſſ. m. & Iliad.* 10. ubi ait: *Limoo thanéein oiktiſton*, id eſt, *Fame mori valde miſerabile eſt.* Homerus.

14. *Habita nonnunquam colloquia*] De ijſdem ſpeciatim vide *Sleidanum lib.* 10. *pag.* 276. quæ tum Principes ex *Conventu Confluentino* obſeſſos Anabaptiſtas eo tempore graviter monuerunt, tum etiam quæ *Philippus Haſſiæ Landgravius* cum ijſdem per literas aliquoties egit, ut idem Sleidanus pag. 277. refert, tum denique Philippus Haſſiæ Landgravius.

quæ obsidentes modó per literas, modó, per colloquia eosdem liberaliter satis monuerunt, apud eundem *Sleidanum*, *pag.* 281. Sed surdis fabula perpetuó cantata fuit.

Iudith Anabaptistarum Monasterienſium.

15. *Adornata fuerat & Iudith*] Allusio ad Iuditham nobilem illam viduam Bethulienſem, cujus historia ex libro *Iudith Cap.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. &c. sat nota est. Cujus simiam Anabaptistæ Monasterienses infeliciter subornârunt. Porro de hac *Sleidanus* & alij tacent.

16. *Rarò admodum se proferre visi sunt*] Causam addit *Sleidanus l. d.* quia videl. Duces urbem obsidentes ad Anabaptistas scripserant, ne posthac ullos ex suis emitterent, ne pueros quidem aut mulieres. Accidit hoc circa Calend. Iunij anno M D XXXV.

17. *Regem etiam ajunt de transfer. in al. reg. dig.*] Cæteri hujus Anabaptistici regni descriptores hujus quoque non meminerunt.

CAP. XIII.

PORRO 1. *rebus hoc statu constitutis, circa octavam Pentecostes, duo peditus urbem egressi: quorum alter excubias fallens exercitum nostrum transeundo evasit: alter* En autophooroo *captus vivusque servatus. Quumque sentiret is qui effugerat, alterum vivum servari, ipse quoque* Au.omatoos *rediit. E quibus*

bus captivis deprehenſa est hæc urbis potiundæ ratio; quæ jam antè à militibus parte aliquâ comperta, nempe hæc. Ad 2. portam quæ vocatur Crucis, foſſam non amplius in latitudinem haſtâ militari patere ac pedibus quatuor: portulam etiam ibidem ferè ſemper patere. Hoc indicio facto pons fabricatur ad dictam foſſæ latitudinem: ac mox feſto Iohannis Baptiſtæ primâ noctis vigiliâ ad eam, foſſæ partem admotus, ponti funis alligatur: eo captivus, qui hac parte Urbem minus munitam indicârat, cinctus foſſam natando trajecit, pontemque eo, quo cingebatur, fune ad ſe protraxit: per quem ſtatim XXXV. in hoc delecti pedites tranſierunt fæliciter. Tranſmiſſâ foſſâ vallum hic eminens, quò minùs tranſcendi poſſet, ſepimento erat circumſeptum uſque ad valli propugnaculum, quod Rondellum vocant. Ibi pedites illi partim eo loco, ubi ſepimentum cum propugnaculo committitur, clanculum irrepſerunt, partim minutioribus ſcalis adhibitis tranſcenderunt. Hoc ſepimento ſuperato, antequam in ſummum valli pervenire darétur, aliud reſtabat ſepimentum ex aſſellis ac palis in ordinem conpaginatis. Unde aſſellâ forté evulſâ milites tranſ-

euntes in valli summitatem illæsi, inscijs, vigilijs, perveniunt: atque inde ad propugnaculum properantes, excubitores jam consopitos trucidant. Adjuvabat nostros ejus noctis tempestas fulmine ac tonitru, quo minus strepitu proderentur. Interim dum cæteri pedites à tergo, numero circiter trecenti properanter sequi contendunt, pons frangitur, & quum pars jam transmissa, reliqui tranando scalisque ad Rondellum applicitis præcedentes subsequuntur: & quanquam scalarum aliquot festinatione ac pondere multitudinis rumperentur: multi tamen succedentium eódem, quò priores, perveniunt. Qui continuò per portulam, quam patere diximus, irrumpentes, quatuor signis sed numero pauciores sexcentis urbem penetrant. Verum nimium successu gestientes jam ingressi, portæ curam à tergo negligunt, 3. paucique forte-fortuna ex oppidanis supervenientes portam recludunt, ita, ut reliquus exercitus excluderetur. At ingressi per urbem passim grassabantur, perinde ac si longè plures fuissent, adjuvante noctis caligine: aliòquin à paucis opprimi potuissent. Hæc ferè circa tertiam noctis vigiliam gesta sunt. Noctes autem exercitus quum sentiret portam paucis intro receptis occlusam, existimabant se elusos atque universos qui intro-

intromiſſi fuerant, lanienæ traditos. Hîc audiſſes excluſorum exſecrationes ac probra in duces horrenda, qui miſeros velut in naſſam coëgiſſent, ſceleratiſque profugis, ac proditoribus fidem tam facilem præbuiſſent. Duces ſuſpirare, lamentari piloſque vellere: breviter, omnia miſeriæ plena. Interea in urbe exaudiuntur alibi ejulatus, alibi Pſalmorum cantiones, adeo ut de noſtris conclamatum, & 4. ab hoſtibus Epinikion *cani crederetur: quum contrâ noſtri oppidanos cogerent* hou, hou *ſonare. In eâ igitur deſperatione, qui ante portam excluſi ſtabant, ad horam uſque ſextam matutinam exſpectatum, jamque ligonibus, dolabris ad perfodiendum perfringendumque adornatis, ecce* Apo mæchanæs *ſigna noſtra juxta propugnacula oſtentantur, ac protinus porta, quæ vocatur* Iodefelts, *aperitur: per quam tandem exercitus univerſus poſt longam exſpectationem atque indignationem ingreſſus eſt. Quumque ad forum ventum eſſet, illic circiter trecentos aut paulo pluros Anabaptiſtas conglobatos currulique propugnaculo, quod fit currubus in ordinem conjunctis circumſeptos, vicos paſſim clauſos cernunt. Qui etſi aliquandiu ſed fruſtrà, reſiſtere potuiſſent, omnes tamen vitam deprecati, in deditionem recipiuntur: ſed poſtea quum inſidias*

struere rebellionẽque parare deprehẽderentur, plerique occisi sunt. Inde per plateas domos, latebrasque cursitantes milites alios trucidãt, alios è fenestris præcipitant, nonnullos in cellis suffocant. 5. Isque labor dies aliquot duravit, dum abditos passim è latebris protraherẽt prædasque indagarent comportarentque.

Inter captivos memorabiles Rex pugnando capitur, juvenis, ut supra dixi, vix dum vigesimum sextum annum excedens, corpore ad mediocritatem composito: Tò eidos axion turannidi. *6. Ex uxoribus regys, quæ numero circiter XV. aliquot captæ, nonnulle elapsæ. Regina, quã formâ præcellenti prædicabant, cæsane in ipso tumultu, an evaserit, in certum. 7. Idem de* Bernardo Rotmanno *Ecclesiaste contigit: major conjectura, eum in ipsâ irruptione interjisse: tamen quum inter ipsa cadavera, tum in latebris passim diligentissimè quæsitus, nusquã repertus est. Regius Vicarius* Knipperdolingius *vivus captus, vir, ut dixi, corpore procero & eleganti, sermonis quoque gravitate plurimùm per se facundus. Captus inter insignes* Krechtingus *& plerique alij, qui primùm quæstionibus examinati, ac mox supplicio affecti. 8. Rex unà cum* Knipperdolingio *&* Krechtingo *vivi aliquandiu, ut precipui hujus factionis Triumviri, torturis ac quæstionibus servati. Plerisque*

que dogmatibus renunciârunt, maximè Baptiſmo & Matrimonio ſe abuſos faſſi. In nullo æquè perſtiterunt, quã in Chriſti carne verbo duntaxat aſſumtâ, non autẽ à Virgine-matre.

Tandem 9. hi tres plauſtro impoſiti ad zonam uſque nudi per plateas publicè Monaſterij ducti; collum, ſcapulæ, pectus ac brachia candentibus forcipibus velluntur. Quum ſic aliquamdiu diſcerpti fuerant, cultro pectus confoditur. Atque ut eorum memoria civitati terrorem ante oculos incutiat, 10. in ferreis cancellis corpora prope forum ad altiſſimam Templi turrem foris affiguntur ſpectanda In cæteros captivos non ita ſæviebatur, ſexui parcebatur & ætati: verùm 11. quum à militibus pleræque formâ præſtantiores fœminæ ac puellæ, ut in hac ſcelerum Scholâ fieri aſſolet, parùm pudicè tractarentur, illæ veneno inſidiiſque injuriam vindicare tentarent non paucos ſuſtulerunt, ita ut mortui paſſim in lectis milites concubitores reperirentur. Vnde commoti cæperunt in mulieres etiam ſævire. Incolæ Anabaptiſmi obnoxij quotquot non interemti, omnes, paucis exceptis, urbe pulſi, eorundemque domus bonaque omnia proſcripta.

Ad hunc modum XVIII°. menſe, à quo oppugnari cæpit, occupatur Anabaptiſtarum receptaculum Monaſterium, nocte quâ diem

Iohannis Baptistæ *festum claudit, non sine fatali, arbitror, omine eo festo domiti Anabaptistæ. Et nisi eâ, quâ dixi, ratione divinitus suppeditatâ potiti fuissent (videbatur enim jam divina lenitas illorum non ferendâ impietate fatigata) periculum fuisset, ut Rex sesquiennali obsidione toleratâ, enecto inutili vulgo, Urbem illam jam modis omnibus munitissimam redditam cum paucis tueri, aliorumque conspiratorum auxilia operiri potuisset. Jam enim fabarum, pisorum, leguminum ac olerum magna vis consita matureſcere cæpit: Habet enim urbs illa prata & pascua ampla, locaque vacua intra mœnia, & rivum mediam civitatem dividentem, qui pisces suppeditabat. Reperti sunt in regijs cellis vini ac cereviſiæ aliquot cadi, in penu carnium piſciumque salsamenta, quibus Rex cum suis* Oligarchois *sustinere se aliquandiu potuisset. Pecuniæ plurimum repertum.* 12. *Præda omnis in commune collata, pars Episcopo, pars militibus distributa. Corona auro gemmisque insignis, gladius quoque regius & calcaria ex auro puro puto, Episcopo Principi à militibus honorarij loco concessa. Atque hunc exitum habuit tragicum hoc, Monasterienſe regnũ, toti Christiano orbi exitiale futurum,* 13. *nisi communi Principum operâ exstinctũ fuisset.*

Hypom-

Hypomnemata & Notæ.

1. *PORRÒ rebus hoc ſtatu conſtitutis*] Expugnatio Vrbis deinceps per ſuas circumſtantias prolixiuſculè deſcribitur: quam *Bullingerus*, *Sleidanus* ac *Surius* brevibus tantum attigêre, cum Authore Epiſtolæ nihilominus conſentientes. *Guido de Bres* verò eam paulo aliter deſcribere videtur, quando *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 32. ait, Regem cum ſuis de commeatu novo acquirendo conſultâſſe, unumque ex ijs, qui *Iohannes de plateâ longâ*, vulgò **Hanſken van der Langhe-ſtraten**/ dicebatur & Regi à ſecretis erat, cujuſque proinde fidei Rex multum tribuebat, ſeſe ad hanc rem obtuliſſe, quod ſcil. intra dies quatuordecim tùm commeatum, tum trecentos quoque milites in Vrbem introducere vellet. Hunc itaque eo ſub prætextu mox rectà ad hoſtes abijſſe, certoque pretio Vrbem Epiſcopo obtuliſſe, ſub conditione amittendæ vitæ, ni illi eam traderet. Tempus ad hoc deſignandum conſtitutum fuiſſe noctem feſtum Iohannis claudentem, quâ circa horam decimam ei urbis portam aperire vellet, tantum ut ejus copiæ cum ſilentio ad portam *Crucis* accederent. Quibus peractis hunc *Paragoraſtæn* in urbem reverſum eſſe, & ſingula pro voto à ſe expedita eſſe, commeatumque & militem intra XIV. dies in procinctu fore, Regi perſuaſiſſe. Tempore verò conſtituto appropinquante, cum excubitoribus, quòd eâ nocte ſat commeatûs

Expugnatio Vrbis Monaſterienſis.

Iohannis van der Langhe-ſtraten.

cum milite novo affuturum sit, simul imposuisse, mandans, si copias fortè adventare viderent, ne strepitum aliquem facerent. Atque sic horâ decretâ portas apertas fuisse, hostemque intromissum, ac vigilantium Symbolum ei revelatum: illosque primo impetu, sicut reliquos quoque tum excubias agentes, ab eo trucidatos fuisse: deniqúe urbe sic invasâ tubarum clangorem passim per vicos auditum: Regem vero cum suis, facto concursu, hostem repulisse usque ad urbis portam, quæ ab oppidanis denuò occlusa erat. Exclusos autem audientes, quid commilitonibus ingressis accideret, vi valvas portarum effrinxisse; atque sic quoque ingressos signa sua ubique ostentâsse. Oppidanos denique in primâ acie aliquantulum restitisse, & occupato foro sese communivisse, ubi ingens clades tum excitata fuerit. Hæc *Guido*. Fortè hic Iohannulus Longaplateanus unus ex duobus istis militibus fuit, quorum *Bullingerus*, *Sleidanus*, *Surius* & Author Epistolæ meminêre, è quibus Episcopus urbis potiundæ rationem didicit: atque sic, quod rem ipsam præcipuè concernit, inter *Guidonem* & hos nulla capitalis dissensio erit.

2. *Ad portam quæ vocatur Crucis*] Id solus Heresbachius narrat, cæteris tacentibus.

3. *Paucique ex oppidanis*] Idem *Sleidanus* & *Guido* obiter quoque referunt.

4. *Ab hostibus* Epinikion *cani*] *Ta epinikia* dicuntur carmina de partâ victoriâ cantata. Quale *Epinikion* Mosis ejusque sororis

fuit, *Exod.* 15, 1. & 20. Item Deboræ & Baraki, *Iud.* 5. 1. 2. Fæminarum Iſraeliticarum Goliatho à Davide interemto. 1. *Sam.* 18. 6. 7. Denique Regis Ioſaphati devictis ac debellatis Ammonitis & Moabitis, 2. *Paralip.* 20. 26. 27. 28. qualiaque *Epinikia* in ſacris literis paſſim leguntur.

Exod. 15. 1. 20. Iud. 5. 1. 2. 1. Sam. 18. 5. 7. 2. Par. 20. 26. 27. 28.

5. *Iſque labor dies aliquot duravit*] *Guido lib. 1. cap. 5. pag. 32. b.* addit, per decem integros dies hanc prædam inveſtigatã, necnon Anabaptiſtas, qui capto Rege, deſperantes animoque dejecti cellis, cloacis, angiportis alijſque latebris ſeſe abſcondidére, imò vel antrum muris, ſi fieri ullo modo potuiſſet, latibulũ ſibi optantes, in medium à militibus protractos & interfectos eſſe.

6. *Ex uxoribus regijs*] Tacent de his cæteri.

Bernardi Roeman interitu

7. *Idem de Bernardo Rotman*] Idem *Sleidanus* & *Surius* referunt, quòd ſcil. in confertos hoſtes incurrerit & ab ijs confoſſus ſit, ne vivus in illorum veniret poteſtatem.

8. *Rex unà cum Knipperdolingio & Krechtingio*] Idem *Sleidanus pag.* 282. & 283. & *Guido lib. 1. cap. 5. pag. 33.* de his ſic refert. Rex & ſocij duo captivi ducebantur huc illuc ad Principes, ſpectaculi & ludibrij cauſa. Per hanc occaſionem Landgraviani Concionatores cum Rege ſermonem conferunt & diſputationem ineunt de his potiſſimùm dogmatis, *de Regno Chriſti, de Magiſtratu, de Iuſtificatione, de Baptiſmo, de Cænâ Dominis, de Incarnatione Chriſti, de Conjugio*, & Scripturæ teſtimonijs eò proficiunt, ut illum quantumuis reluctantem ſuaque defendentem, etſi non mutare ut

Rex cij ſ culi cir duci.

Diſput cum ij inſtitut ejuſqu exitus.

totum,

totum, flecterent tamen & labefactarent, sic ut pleraque tandem concederet. Quod tamen vitæ servandæ causâ feciſſe putatur. Hæc ille.

9. *Tandem hi tres plaustro impositi*] Scil. postquam Telgeto ab Episcopo (ut cæteri ajunt) XIII. Calend. Februarij Monasterium reducti, & singulis custodia separatim attributa esset, biduumque pijs admonitionibus, ut ab errore eos revocarent, consumtum, Episcopo, ut & Archiepiscopi Colonienſis & Principis Clivensis legatis, præsentibus. Et Rex quidem agnovit peccatum, ac precibus ad Christum confugit: reliqui duo nec ullum fatebantur delictum & obstinatè sua defendebant, Postridie Rex in locum editiorem productus, alligatur palo: aderant bini carnifices ac forcipes igniti: ad tres primos morsus conticuit; deinde misericordiam Dei continenter implorans, quum horam & ampliùs ad hunc modum laceratus esset, transacto demùm per pectus mucrone decessit: Idem supplicium & socios ejus perculit.

Regis confessio.

jusdem socio- um sup- licium.

10. *In ferreis cancellis corpora*] Idem *Bullingerus pag.* 61. *Sleidanus pag.* 283. & *Guido d. l.* sic referunt. Extincti, caveis ferreis illigantur singuli & è summâ turri *D. Lamberti* in sempiternum monumentum exponuntur pensiles, Rex quidem medius, & quanta est hominis statura, sublimius illis. Is fuit exitus hominum sceleratorum, qui reverà quiddam Gothicum, vel Cimbricum, aut Vandalicum jam meditabantur, nisi Dei providentia, quæ nunquam deest rebus humanis, illorum furiosa consilia retardâsset, & impios conatus perfregisset.

davera rum reis ca- s inclu- d. tur- n tem- suspen- ntur.

11. *Quum*

11. *Quum à militibus pleræque fœmina*] Peſſimum factum, imó ſcelus in militiâ nullo modo tolerandum cenſetur meritò conſtupratio honeſtarum matronarum ac puellarum: à quo cordati & pij milites jure abhorrent: quum etiã honeſtiores olim ex pagãis militibus hoc ſcelus deteſtati ſint: ſicut de *Totilâ Gothorum Imperatore* hiſtoriæ referunt. Quum enim in urbis Romæ direptione *Ruſticiana Boëtij conjunx & Symmachi filia*, unà cum alijs matronis patricijs, ab hoſtibus panem emendicare cogeretur, quæ antehac facultates ſuas egentibus impertiverat: militeſque Gothi in ejus mortem conſpirâſſent; Totilas eam nullâ injuriâ affici permiſit: ſed eam ac cæteras fœminas omnes, ut extra injuriam eſſent, ſervavit, etiamſi Gothi eas in conjugium depoſcerent: Ita, ut nulla earum per barbaros violata ſit. Ex quo Totilas maximam continentiæ laudem retulit. Accidit hoc anno poſt natum Chriſtum DXLVI. ut *Bucholtzerus* ex *Procopio* in *Indice Chronol. pag. mihi* 269. refert. Sic *Pauſanias dux Laconicus* à caſtitate commendatur, teſte *Horodoto lib.* 9. Quando enim is *Mardonium*, Præfectum & Satrapam Perſicum vicit in agro Platæenſi, terrâ Bæotiæ, inſigni victoriâ; abſtinuit à mulierculâ Coâ, natâ in inſulâ, quæ patria *Hippocratis* fuit: qua tanquam victor ad libitum potiri potuiſſet. Celebris quoque inprimis eſt Continentia heroica *Alexandri Magni*, parcentis pudicitiæ gynæcei Regis Darij, quod in ejus poteſtatem venerat. De qua ita *Qui Curtius lib.* 3. *pag.* 69. Alexander Virgines & reginas excellentis

Conſtupratio militaris fœminarum indigna.

Totilas Gothonum Imperator.

Ejuſdem caſtitas.

Pauſanias dux Laconicus.

Alexandri magni continentia.

excellentis formæ tàm sanctè habuit, quàm si eodem, quo ipse, parente genitæ forent. Conjugem ejusdem (Darij) quam nulla ætatis suæ pulcretudine corporis vicit, adeò ipse non violavit, ut summam ad hibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. Et *lib.* 10. *pag.* 420. de eodem refert: Ei erat Veneris intra naturale desiderium usus; nec ulla, nisi ex permisso voluptas. Ingentes profectò dotes! Hæc Curtius, Ingenuus ac pius miles quaqua occasione ad crimen istud invitatus cum Iosepho dicet: *Quomodo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum? Genes.* 39. 9.

Q. Curtius lib. 3. p. 69.

Idem lib. 20. p. 423.

Genes. 39. 9.

12. *Præda omnis in commune*] Consentit *Sleidanus lib.* 10. *pag.* 282. dum ait, Episcopum & prædæ majorem partem & tormenta omnia & civium etiam bona cepisse.

13. *Communi Principum operâ*] Consulatur prolixè de hoc Principum & Civitatum facto idem *Sleidanus*, *pag.* 272. 276. 280, & 281. & quæ ad *cap.* 9. *num.* 5, notavi.

CAP. XIV.

PLura suppeditaret hic campus, si velmihi scribendi & tibi legendi simul otium suppeditaret. Non deesset justa historia, si cui liberet cuncta exsequi. Sed accuratioris Diatasios *ordine hic opus esset: nobis satcrit capita rerum veluti punctim attigisse. Superest Dominum comprecemur*

omnes

omnes, ut ſuam pacem fideique concordiam nobis largiatur, omneſque errores ac ſeditiones repellat. Principes noſtri jam tandem propenſiores videntur ad id, quod jam pridem feciſſe oportuit: nimirum 1. *ut antiquatis abuſibus impoſturiſque ac ſomnijs* Pſeudekklesiastikoon, *Chriſtianis legitimiſque tam religionis, quàm civilibus ordinationibus, hiſce occuratur malis, ne impoſterùm repullulare queant.* 2. *Decernuntur ſupplicationes, quibus divinam iram delictis noſtris excitatam, placandum videtur. Neque eſt aliud cui imputari liceat quàm noſtræ culpæ horum temporum infelicitatem: tametſi ſint qui partim fatis, partim melioribus literis ac linguis hæc diſſidia imputent: quibus reverà licebat, meâ ſententiâ hanc Fatorum* 3. *apud Homerum excuſationẽ occinere:*

Ex hæméoon garphaſi kak' emmenai, hoi dè autoi
Zphæſin ataſthaliæſin huper moron alge' echouſin.

Hominum malorum vitijs videl. debemus, non literis, neque Euãgelio, omnis humanitatis & pietatis fontibus. Etenim nullum propé Anabaptiſtam ac hiſce tumultubus addictum reperi exacto judicio ac literis ſolide inſtructum,

instructum; sed omnes imperitos homines, ac velut cæco quodam novarum vel etiam olim damnatarum opinionum Enthousiasmoo *rapi. Idque maximè fit horum temporum opportunitate, quum* 4. *reviviscentibus literis ac Euangelicâ sincerâ doctrinâ reluceſcente, populus velut è longo veterno excitatus ac ad lucem anhelans, à verâ doctrinâ repellitur, ipse sibi viam quærit, & qui nullius bonæ rei author eße solet, sibi reformationem fingit: quæ ne salutaris sit, malus ille saluti nostræ invidens zizania adspergit, sectarumque, venenum excitat: unde posteriora prioribus sunt deteriora.* 5. Anth' hoon tæn agapæn tæs alæ theias ouk edexanto eis tò sothænai autous. Kai dià touto pempsei autois ho Theos energeian planæs, eis tò pisteusai autous too pseudei: *nempe ut humanis doctrinis impostorisque huc illucque rapiantur,* 6 *dicatque alius,* Hìc est Christus; *& rursus alius,* Hìc est Christus: *& orthodoxi perspicui sint, qui à Scripturæ caritatisque simplici scopo non aberrent.* 7. *Quantumvis verò Satanas in Angelum lucis seſe transferat,* 8 *nihilominus* Katargæsei ho kurios auton tæ epiphaneia tæs parousias hautou, 9. *ac juxta Gamalielis sententiam,* Katalythæsetai. *Sed nimium forté de his.*

Quod scribis 10. *de Vigilio Zuchemo:*

eum

eum doleo è tranquilliſſimo Muſarum portu in medias haſce procellas malis auibus incidiſſe. Nam ab Epiſcopo Monaſterienſi ad Officialis munus adſcitus. Quæ quidem provincia etſi forenſium negotiorum uſu exercitatiorem reddere queat, attamen eo ingenio indigna, neque hoc ſæculo idonea, maximè quum metropolis illa hoc rerum motu Agetai kai pheretai. *Cuperem illi apud nos commodiore conditione conſultum, dabiturque opera, ut eum protrahamus: neque fuerit difficile, ſi aulæ ſervire libeat.* 11. *Cujus certè me ipſum fateor jampridem ſaturum,* 12. *incipioque proſpicere de nido quopiam tranquilliore, ubi & honeſtis ſacriſque ſtudijs & tranquillitati ac valetudinis imbecillitati conſulere detur. Prolixior ſum, quo te ipſis Pythagoricis* ſumpilooteron, *ad copioſius ſuper hac re ſcribendum proliciã. De ſtipendio tuo nihil addubita. Chriſtus, qui eſt ipſa ſalus, dignetur te quàm diutiſſimè ſervare incolumen Vale. Duſſeldorpij. Anno M, D, XXXVI.*

Princeps ſenior quum intelligat me ſcripturum, juſſit ſalutem, adſcribi ejus Celſitudinis nomine. Junior ipſe ſalutem adſcripſit ſuâpte manu.

Salutator manu meâ

Guilielmi Iuniores Ducis etc.

Hypomnemata & Notæ.

1. *VT antiquatis abusibus*] Consule Epistolæ authorem in libro *de Rep. Christianè administr. Cap.* 11. *& seqq.* ubi modum elegantèr tradit, quomodo abusus & impostura tales commodè antiquari possint, pag. 262. 263. 264. 265. & 271. &c.

Supplicationis vox quid sit Latinis.

2. *Decernuntur supplicationes*] Vocabulum *Supplicationis* apud *P. Manutium*, *Iac. Sadoletum*, *Ant. Muretum* alioqúe usurpatur pro Missâ, quæ habetur pro victoriâ obtenta. Hanc *Eucharistian* seu *Charistia* Græci vocant, quibus olim Dijs ob rem bene gestam gratię agebantur. Author verò Epistolæ per *Supplicationes*, publicas preces intelligit, quæ cum jejunijs plerumque in Ecclesiâ conjunguntur, quibus iram Dei deprecari & imminentem aliquam insignem calamitatem avertere pij solent. Vocis igitur *Supplicationis* in relatâ & tristi usus est. Sic Cicero *Philip.* 1. Supplicationem decreverunt ei pro victoriâ.

Eucharistian. Charisteria.

Cicero.

Homerus.

3. *Apud Homerum*] Nempe *Odyss.* 1. in initio ferè, ubi dicitur,

Oopopoi hojon dæ nu theous brotoi aitiaoontai:
Ex hæmeron gar phasi kak' emmenai hoi de kai autoi
Z phæsin atasthaliæsin huper moron alge echousin.

id est:

Eheu, ut jam dudum deos mortales culpant,

Ex

Ex nobis enim ajunt mala eſſe, quin verò ipſi Suâ inſipientiâ præter Fatum calamitates patiuntur.

4. *Reviviſcentibus literis ac Euangelicâ ſincerâ doctrinâ*] Ante igitur aliquamdiu humanior literatura & doctrinæ Euangelicæ ſinceritas emortua & obfuſcata quaſi fuit: quod Pontificij ipſi nolentes volentes fatentur. Sic enim jam olim, videl. circa annum Domini M D,XIX. *Iohannes Faber Viennenſis in Homil. Cent. I. de miſeriâ hum. vitæ in Præfat. ad Hugonem de Landenberg Epiſcopum Conſtantienſem fol.* 240. utrumque taſſus eſt, quum inquit: *Concionatorum vicem perſæpè vehementer indolui, quibus neſcio quæ putida commentaria revolvenda ſunt, quoties ad populum declamandum eſt. Ancupantur nonnulli ſedulò quidem, ſed parum ſcitè* MEFRET, *quædam nonuſque quaque recepta, ſed propemodum anilia referunt aliqui, ut* DISCIPVLVS. *Multi nimium* SECVRE DORMIVNT, *dum ferè ubique dormitant. Quæ, malum inſania eſt divinum oratorum pro Euangelicâ veritate ſomnia quædam & aniculârum viſiones & terriculamenta referre? Miſerebat me eorum, quibus illa* DELIRIA *faceſſebant negotium, eoque magis quod nullum jam diſciplinæ genus videram, quod non exploſa barbarie nugiſque quibus implicabatur, elimatis, ſuo priſtino nitori reſtitueretur.*

Literæ humaniores in Papatu obſcuratæ.

Doctrinæ Euangelicæ ſinceritas ſub Papatu corrupta fuit.

Ioh. Faber Vienenſis.

Mefret.

Diſcipulus Dormiſecurè.

Habet Gallia Guilielmum Copum, qui medicam artem à tot mendis liberat: habet Guilielmum Budæum, qui barbariei monſtra ex

Guilielmus Copus.

Guilielmus Budæus.

Iurisprudentiæ libris abigit: Cui laboris tam fructiferi socium addit Germania Vdalricum Zasium, qui nullis sanè laboribus parcit; quo tandem eâ, quâ olim, majestate & munditiâ, Legalis sapientia tractetur. Magnus ille Erasmus vir longè doctissimus quantus quantus est, Theologiæ veræ verè à mortuis resuscitandæ, incumbit, & tot suis vigilijs multò utilissimus, multa passim præclara ingenia, quæ alioquin corrumperentur, ad veræ Theologiæ studium, devijs relictis, ceu classico evocat; quo pio conatu tantum profecit (nullo invidentium oblatratu à pulcerrimâ provinciâ deterritus) ut jam resipiscat mundus & sacras literas non è qualibuscunque lacunis, sed ipsis fontibus petere incipiat, &c. Item, In hac operâ Christo restituendâ Wolfgango Fabritio Capitoni ac Iohanni Oecolampadio Basilienſis & Augustanæ Ecclesiarum concionatoribus, viris trium linguarum doctissimis primas partes tribuo, nec illis palmam dari vereor. Horum opera, quæ nuper in lucem prodierunt, testantur quantum in veteri ac verâ Theologiâ resuscitandâ, laborent, hi nostris longè doctiora ac Reip. Christianæ utiliora præstabunt &c. Hæc Faber Viennensis. Consule D. Sculteti Annal. Euangel. Decad. 1. circa initium, ubi pluribus hanc rem evincit.

Vdalricus Zasius.

Erasmi laus.

VVolfgangus Fabritius Capito.

Ioh Oecolampadius.

2. Thess. 2. 10. 11.

5. Anth' hoon tæn agapæn] Verba hæc sunt Apostoli Pauli ex 2. Epist. ad Thessal. cap 2. 10. 11. desumta, quæ Latinè ita redduntur: Pro eo, quod amorem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: propterea igitur mittit illis Deus efficaciam deceptionis (sive operationem impostiuræ) ut credant mendacio. Rectè verò: Clementissimus enim

Cur Deus Euangelij prædicationem fæ-

enim Deus nonniſi extremâ hominum ingratitudine provocatus, tam fædam prædicationis Euangelij profanationem paſſurus fuiſſet: ſicut Anabaptiſtis, craſſis illis novæ & prius inſolitæ gratiæ contentoribus, horribilis illa Dei vindicta meritò accidit: quæ hodieque eos manet, quotquot Antichriſti jurati aſſeclæ ſunt. Illius ſiquidem impoſturis faſcinati obbruteſcunt ita, ut clauſis oculis ſtupidâque mente, quævis mendacia vero præferant. Quæ nimirùm *Cæca* illorum *obedientia* eſt, quam vocant, quâ, ceu bubuli naribus, ſurſum deorſumque in volutabro ſuperſtitionum fædæque Idolomaniæ trahuntur.

dari interdum permittit.

Cæca obedientia Papiſtarum.

6. *Dicatque alius: Hîc eſt Chriſtus*] Quemadmodum Chriſtus Dominus noſter ipſe præmonuit *Matt.24. 23. & Marc.13, 21.* Tales imprimis illi hodiernique Anabaptiſtæ, qui ſeipſos facientes purum & ab alijs ſeparatum Chriſti corpus Spiritûſque Sancti domicilium: nos verò eſſe abſque Deo, abſque fide, abſque caritate, ſine Spiritu, ſupercilioſi blaterantes, quid aliud clamârunt vel clamant, niſi illud: *Ecce hîc eſt Chriſtus?* Vide eorum *Apologiam*, quæ in fine libelli, quem *Henricus Bullingerus* olim contra Anabaptiſtas edidit, exſtat *cauſâ V. Pag. 245.* Tales quoque ſunt mercenarij Papæ adulatores, qui præter quam quòd jactabundi ſe Eccleſiam habere clamant, Chriſtum huic vel illi loco alligant dicendo: hic eſt præſens Chriſtus: hic eſt adorandus, invocandus, vel ibi; Romæ nimirùm, & in Romano Papatu: ut qui Romanum Papatum non agnoſcit, non

Matt 24. 23 Marc. 13. 21.

Anabaptiſtarum præpoſtera hypocriſis.

Monachorum in Papatu hypocriſis.

colit, servari non possit. Quinimò Christum etiam in deserto demonstrant. Claustra etiam, sacella, cænobia, ædiculas locis desertis construxerunt Mariæ Lorettanæ, Hallensi, Aspricollensi, Omelensi, Boreharensi, alij: in quibus Christum præsentem monstrant, plenas peccatorum indulgentias, eas visentibus pollicentes: *Hîc est Christus*: hic Indulgentiæ, hic cælum quærendum. Sic etiam Christum in *Tameiois* sive penuarijs ijdem demonstrant, dum hostias consecratas, quas dicunt esse Christum, corporaliter includunt ciborijs & monstrantijs seu hierothisis, dicentes, *Hîc est Christus*: hic adorandus. Quid autem disertius ad Idolomaniam Pontificiam prænunciandam, dici à Christo potuit? In Papatu dicitur: *Ecce hîc Christus est* in deserto, in ciborijs: Ibi proni omnes adorant hostiam pro Christo. Ibi edunt vel fingunt signa magna & prodigia, quibus totus mundus fascinatur, ut sequatur Papatum. Ibi visa est hostia mutata in carnem, in digitum humanum, asinus adoravit hostiam: rusticus ebrius post hostiam sumtam evomuit puerulum, cruciculam: Ibi sacram hostiam germinâsse in culmos nugantur: Istic sanctam Crucem sanguinem aut oleum sudâsse: istic verò Reginā cæli prodire visam cum instructâ acie, ducereque in hostem. Deniqúe ibi Crucifixi statuam rivos lacrymarum per aliquot dies continuos fudisse: adhæc ibi Spiritum Sanctum in specie columbæ visum esse palàm, supra caput, Sacrum Missę celebrantis: Et ne quid mendaciorum desit, ijdem speciosè jactant

Idolomania Pontificiorum.

Ficta eorundem miracula.

Matia Lauretana, ejusque ædiculę ementita

Marianam

Marianam domum Incarnatione Dominicâ inclytam, tranſlatam eſſe Angelorum manibus è Nazaretho Syriæ in Dalmatiam, & rurſûs eandem tranſpoſitam eſſe ab Angelis è Dalmatiâ in Sylvam Picenam Laurettæ matronæ cujuſdam, indeque viciſſim ob odia duorum fratrum in quorum agro communi ſcil. ſteterit, Laurettam eſſe adductam, & quæ ſunt præterea, quæ *Fr. Iohan. Andreas Coppenſtein Ord. Prædicat. Monachus* Bavaricuſque nuper Heidelbergæ infælix Parochus, in *Hiſtoricâ ſuâ Demonſtratione continuatæ Fidei Romano-Catholicæ*, ut vocat, ex *Baronio* & *Bzovio* compilavit, & in lucem edidit. Quid faciemus? Chriſti ſequamur conſilium nos monentis: *Ne egredimini: Ne credite*, *Matth. 24. 23. 26.* Vetamur enim his impoſtoribus fidem habere: Vetamur credere, Chriſtum ante adventum extremum eſſe præſentem in terris, hic vel ibi, in diſertis, in ciborijs. Qui verò ſic docent & dicunt, Pſeudochriſti & Impoſtores declarantur à Chriſto, *Ibid. verſ. 24.*

translatio.

Ioh. Andreas Coppenſtein.

Matth. 24. 23. 26.

Ibid. verſ. 24.

7. *Quantumvis Satanas.*] Teſte Paulo *2. Corint. 11. 14.* Satan quum nos ſolicitat ad malum, non profitetur ſe eſſe, quod eſt, neque cornua (ut vulgo loquuntur) mox oſtendit, ſed potius dat operam, ut pallio quaſi Angelico, ad nos illaqueandos abutatur.

2. Cor. 11. 14.

8. *Nihilominus* Katargæſei &c.] hoc eſt, *Abolebit Dominus ipſum illuſtri adventu ſuo*, ſive *claritate adventus ſui*: quæ verba quoque Apoſtoli ſunt ex *2. Theſſal. 2. 8.*

2. Theſſ. 2. 8.

desunta: quibus solâ Christi præsentiâ, contra omnes Satanæ astutias, satis tutos fore omnes Dei electos, ostendit, quemadmodum sole splendente paucæ nubes non possunt nobis diem in totum adimere. Quum verò prophetia Pauli de Antichristo eventu comprobata sit jam ex parte: quatenus nimirùm Papa & aperte, dominatus ejus in Ecclesiâ, Spiritu oris Christi, id est, verbo seu prædicatione Euangelij, confectus est: statuamus igitur certo, reliquam quoque partem impletum iri, nempe ut adventu Christi ad judicium prorsus aboleatur & æternis supplicijs addicatur. Atque hac exspectatione justi judicij Dei contra illius tyrannidem nos sustentemus. Quum id haud dubiè multò citius futurum sit quam nostra oscitantia somniat.

Pauli prophetia de Antichristo ex parte hodie Completa.

Act. 5, 38. 9. *Ac juxta Gamalielis sententiam*] Quæ habetur *Act. V.* 38. Vbi de prædicatione Apostolorum inquit: *Si est ex hominibus consilium sive opus hoc*, Kataluthæsetai, id est, *dissolvetur* seu *destruetur*: *sin ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Author vero Epistolæ, de Satanâ sive Antichristo ejus vicario illiusque opere ac consilio, voce illâ hic usus est.

Viglius Zuichemus, I. C. 10. *De Viglio Zuichemo.*] Viglius Zuichemus Frisius, celebris olim Iurisconsultus & Facultatis Iuridicæ in Academia Ingolstadiensi anteceſſor primarius, aurei deinde velleris Cancellarius & insupremo Brabantiæ consilio Præses fuit, cujus privatum publicumque symbolum istud fuisse ajunt: *Vita hominis vigilia.* De eodem porro referunt, quod aliquando Franciſci

ciſci, I. Regis Galliæ Legato, legationis ſuæ capita vernaculè, hoc eſt, Gallicé proponenti, ſuo quoque idiomate, hoc eſt, Friſicè reſponderit. Quod quum Legatus ille in contemtum Regis ſui cedere diceret. Imò verò, ille regerit, tu potius auguſtum hunc conſeſſum ludibrio habes, cui, ut Germanis ac Belgis Gallicè loqueris. Numquid vero nos magis ad veſtram linguam diſcendam obligamur, quàm vos ad noſtram? Quoties nos apud Regem veſtrum legatione fungimur, operam damus, ut eâ linguâ loquamur, quam Rex cum ſuis intelligat. Tu quoque nobis vel Latina vel noſtra lingua loquere, quam intelligimus. Hæc Zuichemus, referente *Guilielmo Baudartio* Theologo & Hiſtorico Zutphanienſi, in Apophthegm. Belgic. Ejus ſymbolum. Ejuſdem ſales. Guil. Baudartius.

11. *Aulæ meipſum fateor ſaturum.*] Hinc eſt, quod in *Epiſtolâ Nuncupatoria ad Illuſtriſſimum Principem Guilielmum Clivenſem*, quam *lib. de Educand. erudiendiſque PP. liberis pag. 3.* premittit, *Aulicam vitam ſplendidam miſeriam* vocet: ubi ex *Luciano* ſcitam *Aulæ picturam* ejuſmodi affert, nempe quod ejus veſtibulum ſit ſublime & inauratum, abruptum lubricoque aditu, ita ut plerumque qui ſe ad ſummum perveniſſe putant, præcipites cervice fracta dejiciantur. Intus opulentiæ oſtentatio, ſpes fallax, ambitio, æmulatio, invidia, detrectatio, fumi, adulationes, multæ manus, pauca corda, ut dicitur, faſtus, aliorum contemtus, crapulâ, luxus, corruptiones, avaritia, eaque omnia ſpecioſis fucis teguntur. Hæc ille. Audica vita quid ſit. Aulæ pictura ex Luciano.

Laurentii Medici.

Inscriptaque prospicere de aede quadam.] Quem eundem in *Laurisolano* suo, op het Loorwout, propè Aedem Clivicam in Parochia Meerendi reperit, ut ex principio libri, quem author *de re rustica* conscripsit, constat; ubi eundem anno MDLXXVI. Kalend. Augusti Octuagenarium factus, eodem anno, pridie Iduum Octobris, omnibus pijssimae vitae speculum relinquens, summo cum desiderio placidissimè in Christo obdormivit, Westfaliaeque in templi Wilbrordiani parte dextera prope chorum, sub Bibliothecâ, ad latus pijssimae conjugis suae Mechildis à Dumen est sepultus.

DIPLO-

DIPLOMA IOHANNIS BECOLDI Regis Anabaptistarum, ex Belgico in Latinum nunc demum conversum.

NOtum ac perspectum sit universis Candidatis & studiosis veritatis ac divinæ justitiæ, tam rudibus, quam in mysteriis Dei eruditis; quomodo quibusque rationibus Christiani ipsique divinitus sub vexillo justitiæ tanquam genuini Israëlitæ, in novo Templo ac Regno hoc præsenti, jam dudum quidem provisio, perque os universorum Prophetarum promissio, per Christum Deum ejusque Apostolos in Spiritûs virtute incepto ac revelato, sed modò in IOHANNE ipsius solium Davidis tenente certo ac irrefragabiliter præsente: sese gerere, versari atque ambulare deinceps debeant, omnes & singulos hosce articulos generatim ac specialim ad ipsius transgressionem, sub pœna transgressoribus comminandæ infligendæ communionis, diligenter Dei Regnique ejusdem perquirendo, diligentissime custodiendo, observando ac perficiendo, mandamus.

1. Nullus Rex aut magistratus sub Christi fœderatis, nisi à Deo ordinatus & per

verbi divini præſcriptum ambulans, perpetuus ac conſtans eſto.

2. *Rex ejuſque Iudices omneſque regni proceres abſque ullâ faciei acceptione ulloque privato commodo unicuique Iuſtitiam adminiſtranto, & omnem cauſam ad divini verbi cynoſuram tam in urbe quâm foris in Iuſtitiâ & æquitate Iudicanto ac tranſigunto, regue ita poſtulante ipſimet gladio utuntor eumque ſtringunto.*

3. *Nemo in id quod alterius eſt, involato, aut prolubitu eodem potiator.*

4. *Vnuſquiſque juxta Dei præſcriptum ac verbum, ad quod etiam antea obſtrictus tenebatur, cujuſque obſervationem vovit, in vocatione ſuâ, quoquo tempore ac loco ambulato.*

5. *Nullus doctor impune Scripturam pervertito: quum ubilibet Scriptura legitimè pro dignitate ſuâ ac tempore judicanda & applicanda ſit.*

6. *Si quis Prophetain medio populi Dei ſurrexerit, verboque Dei haud conſona prophetaverit, ab univerſo cœtu ſegregator, & ab eodem cædator: quo palam fiat, abominationem ejuſmodi quoquo modo deteſtandam eſſe.*

7. *Nemo ſub vexillo juſtitiæ, beſtiarum more ſeſe inebriato, aut intempeſtivo & in ſui ip-*

sui ipsius commodum susceptο lusui indulgeto, ex quo jurgia & lites oriri solent: neque etiam meretricia aut adulterina libido, si qua cognosci inposterum dabitur, impunita ulli conceditor.

8. *Si quis factionem aut tumultum excitare ausus fuerit, morto mulctator.*

9. *Si qui intra castra litigantes & contendentes inter se ad percussionem usque devenerint & is qui alterum provocavit, eundem occiderit, idem provocans quoque occiditor: sin vero provocatus provocantem prostraverit, quicquid in hoc pro justo probari poterit, provocans ac defendens, sive sons sive insons, interficitor.*

10. *Ita quoque si qui extra castra duello se percusserint, modo dicto judicantor.*

11. *Nemo sive vir, sive femina, alterum ob sinistram suspicionem, aut pravam opinionem, nisi legitimâ convictione praviâ accusato. Si vero actor actionem suam probare haud potis est, ipse crimen factæ suæ actionis ferto.*

12. *Nemo extra castra sua evagato aut sese absentato, nisi Centurione aut Superiore suo conscio ac consentiente.*

13. *Si quis ignorante uxore suâ, ac sine veniâ aut permissu Capitanei ac Superioris sui, per triduum & trinoctium, fugitivi instar*

star extra castra sua se absentârit; uxori, ut alteri marito nubat permittito.

14. *Nemo sive interdiu sive nocte ad ullas excubias ito, nisi vices suæ id postulaverint, excepto si ob hostem presentem extrema necessitas idem ab eo efflagitaverit, aut cum speciali mandato aliquis ad inspectionem instituendam, ceu Centurio, aut Decurio, sive ad aliud quippiam ibidem perficiendum, sit deputatus: Secus verò, contraveniens apprehenditor, quisquis etiam is fuerit.*

15. *Nemo sub pœnâ Capitis insontem ac cum Babylonico scorto non permixtum, seu impollutum deserito, nisi forsam quis insontem se mentiens in* Autophoroo *noxio deprehendatur.*

16. *Nemo ullam prædam ullasve exuvias prolubitu in proprium usum retineto aut usurpato, sed ad Superiores sibi legitimè præfectos uti par est, eas deferto, quicquidve ex æquo sibi ex iis attributū fuerit, eodē contētus esto.*

17. *Si quis ad Christianorum subsidium, commeatum aliaque necessaria adducere, & honesta commercia cum usdem exercere velit, is cum salvo conductu libereque adducitor, ac amicè tractator.*

18. *Si ei, qui ad Christianos pertinuit, rursumque ab eorum hostibus in servitutē re-*

ductus

ductus fuerit, Chriſtianis denuo ſervire adlibuerit, is non recipitor, ſed ad pœnã trahator.

19. *Nemo Chriſtianorum cum fratre ſuo pro pecuniâ negotiator ſub pœnâ capitis, neque cum fratre ſuo fraudulenter ac veteratoriè agito, ſive commutando, ſive quovis alio modo.*

20. *Nemo fratrum ex uno cœtu in alterum recipitor niſi luculenter probet, quòd in univerſis cœtibus ab omni ſcelere inſons ſit: ſi diverſum cognoſcitur, is ſine gratiâ, ad pœnam depoſcitor.*

21. *Si quis peregrinus Chriſtianis ſervire vult, eum recipi quidem fas eſto, & quamvis idem fidem Chriſtianorum priuſquam ejus intellectum tenet, ſuſcipere recuſaverit, ſimulque Chriſtianos non offendere, ſed amicè cum iiſdem agere, eoſque tolerare ſibi propoſuerit, minimè ab iis excluditor.*

22. *Nemo adverſus Ethnicum magiſtratum, qui verbum Dei nondum audivit, & cum modeſtiâ necdum eſt inſtitutus, pugnato; aut cum ejuſdem damno eundem offendito: quum talis neminem ad infidelitatem cogat, aut contra Chriſtianiſmum agere urgeat: verùm Babylonicæ Tyrannidi Sacrificulorum & monachorum ſicut & iis, qui juſtitiam Dei in injuſtitiâ ſuâ violenter detinent, minimè parcito.*

23. *Si*

23. *Si quis ethnicus propter delictum aliquod ad Chriſtianos confugerit, & adverſus Dei Legem deliquiſſe compertum fuerit, is non ad protectionem, ſed ad pœnam retinetor.*

24. *Si quis pro altero fide jubere velit, quorum tamen haud pauciores, ſed plures potius quàm tres erunt; ſemper fide juſſores loco ejus, pro quo fide juſſerunt, judicio ſeſe ſiſtunto.*

25. *Si quis magiſtratus, aut quiſvis alius inſolenter adverſus Dei verbum, hoſque conſtitutos & legitimè ordinatos articulos ſeſe opponere ac vivere velit, nihilominus abſque offenſione aliqua maneto, uſque dum coram Domino ac Rege Iuſto illo, aut ejus locum tenentibus de eo judicatum, concluſum ac determinatum fuerit.*

26. *Nemo alterum ad matrimonium cogito, violenterque urgeto, aut moleſtiâ aliquâ ob id afficito, quum matrimonia non coactè, ſed ſponte per vinculum amoris conglutinanda ſint.*

27. *Quilibet vitio aliquo affectus, ſive membro aliquo ſit mutilatus, ſive ſcabie Gallicâ, aut morbo regio vel ejuſmodi miſeriâ laborans, cum nemine matrimonium contrahito, niſi prius vitio iſto ſuo apud Comparem ſuum retecto.*

28 *Nulla*

28. *Nulla etiam fœmina, quæ Virginem ſe eſſe refert, poſteaque ſecus compertum fuerit, aliquem ex fratribus circumvenito decipitove: Si qua contrarium admiſerit, damnas eſto.*

Quod ita decretum fuit à DEO, & JOHANNE JVSTO illo Rege in novo hoc Templo, ac miniſtro altiſſimi ſanctiſſimique Dei, anno ætatis ſuæ XXVI. regni autem primo, die ſecundo menſis primi poſt Incarnationem Jeſu Chriſti Filij Dei quingenteſimo triceſimo quarto.

CONFESSIO FIDEI D. CONRADI HERESBACHII IN AGONE AB eodem edita, & nunc demum è vernaculâ in Latinam Linguam converſa

à

Theodoro Strackio, apud Budericenſes Paſtore.

QVum quilibet Chriſtianus teneatur fidei ſuæ confeſſionem reddere, equidem profiteor.

Me credere in unum Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ, De Deo Patre.

qui in verbo suo se patefecit, & unus est essentiâ trinus personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. De Patre, inquam, qui ex paternâ *Storge* & bonitate sua sic appellari voluit, credo quòd non sit natus aut genitus, sed origenis & finis expers, incorporeus, & invisibilis, creator universi, quem

Ephes. 1. 3. sacrę literę *Patrem Jesu Christi* vocant.

De Creatione & conservatione universi. Pater enim per Filium cælum & terram & quęcunque in ijs sunt, creavit, tám visibilia, quàm invisibilia: nec creavit tantùm, sed etiam divinâ suâ sapientiâ gubernat ac conservat.

De hominis creatione. Et quanquam hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit, & dominum super universas creaturas suas constituit: nihilominus verò diaboli invidiâ & se-

De ejusdē Lapsu. Genes 3. 15 ductione primi nostri parentes mandatū Domini transgressi, se omnesque posteros

De liberatione ejusdem. in æternum exitium adduxerunt. Benignissimus tamen Deus ex merâ misericordiâ nostri misertus promisit nobis bene-

Ephes 1. 5. Rom. 8. 15, 16. Gal 4, 6. dictum istud semen, caput serpentis contriturum, nosque id fide amplectentes in amissam *Huiothesian* seu adoptionem gratiosè restituit, ut securè eum inclamemus, Abba, id est, Pater.

De Filio. Credo etiam in Iesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui est

eſt ſecunda perſona Deitatis, Deus verus de Deo vero, ipſi in omnibus coęqualis, non factus, ſed ab æterno genitus, verus Meſſias, benedictum & promiſſum iſtud ſemen mulieris, conterens caput ſerpentis, & inobedientiam primorum parentum rependens; quia propter perditos nos homines divinę majeſtatis ſuę gloriâ ſe exinanivit, infirmitateſque noſtras, præter peccatum, aſſumſit, ut nos ab æternâ morte & diaboli poteſtate redimeret: Conceptus ex Spiritu ſancto, natus ex Mariâ ſanctâ Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, cruci affixus, mortuus ac ſepultus, deſcendit ad inferos, tertio die reſurrexit à mortuis, adſcendit ad cælos, ſedetque ad dextram Patris ſui omnipotentis; Vnde veniet ad judicandum vivos & mortuos: qui pretioſiſſimo ſanguine ſuo, & inſonti paſſione ac morte nos æternę damnationi obnoxios ab omnibus peccatis, à morte, Satanâ ac inferno liberavit: & ſanctâ reſurrectione ſuâ luculēter evicit, quòd juſtitiā nobis acquiſiverit, & chirographum, quod adverſus genus humanum Satan habebat, cruci affixum è medio ſuſtulerit, & quemadmodum in mortem traditus fuit propter lapſus noſtros, ita quoque propter juſtificationem noſtri teſtatam faciendam, reſurrexerit,

Gen. 3. 15. Gal. 3. 16.

Coloſ. 2. 14

Rom. 4. 25 1. Cor. 15. 17

rexerit, atque sic Patri suo reconciliaverit. Similiter sicut nos per regenerationem in filios adoptavit & cohæredes sibi fecit; ita quoque postquam à mortuis resurrexit, discipulis suis se patefecit, ipsis præcipiens, ut Euangelium, id est, lętum nuncium de peccatorum remissione, per universum orbem annunciarent, juxta quod à Prophetâ dictum fuit: *Ascendisti in sublime, captivam duxisti captivitatem, & accepisti dona distribuenda inter homines.* Et postquam multis adspicientibus in cælum ascendit, duo angeli adsistentes illis testati sunt, quòd sicut modò vidissent Christum in cælum ascendere, ita quoque reversuras sit ad judicandum vivos & mortuos. Idem nunc sedet ad dextram Dei, hoc est, gubernat æquali potestate ac majestate cum Patre suo cæleśti, omnia implens. Pater siquidem ei omne judicium dedit in omnes homines, nempe in Iudęos, Turcas & Gentes, sive ij adhuc vivant, sive mortui sint. Quos etiam judicabit juxta legem suam, nempe Euangelium & doctrinam Apostolorum. *Qui credit in Filium, in condemnationem non veniet.* Hic Christus quoque, qui per crucem suam nos ab æternâ damnatione exemit, sedet ad dextram Patris sui omnipotentis, interpel-

Euangeliū.

Psal. 68. 19
Ephes. 4. 8.
Act. 1. 9. 10 11.

Marc. 16. 19
Ephes. 4 10

Ioh. 5 22. 27.

Ioh. 3. 18.

Rom. 8. 34

interpellat pro ijs, eoſdemque defendit, quotquot fide eum amplectuntur: & ſi peccaverimus, Patri ſe ſiſtit idem ceu advocatus noſter; atque ſic ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Ioh 2. 1. 2.

De Spiritu Sancto.

Credo etiam in Spiritum Sanctum tertiam perſonam Deitatis, quòdque ſit idem *Homoouſios* id eſt, unius eſſentiæ cum Deo Patre & Filio; quum Ioël dicat: *Effundam de Spiritu meo:* ſic *ut Spiritus Sanctus ſit ex ſubſtantiâ Dei*, quemadmodùm *Cyrillus* loquitur: Et Cyprianus teſtatur, *quod ex ore Dei procedat & omnia Sanctificet*, quodque nos non ex proprijs viribus, aut ratione noſtrâ in Chriſtum credamus, ſed quòd Spiritus S. nos per Euangelium vocet, donis ſuis illuſtret, & in verâ fide conſervet, & in omnibus neceſſitatibus, in primis verò in agone mortis conſoletur atque confirmet. Ioël. 2. 28. Cyrill. in Theſaur. lib. 12.

De Eccleſiâ. Cur Sancta ea dicatur.

Credo etiam Sanctam & Chriſtianam eſſe Eccleſiam; nempe cælum eorum, qui veram Dei notitiam habent. Sancta autem eſt, quia totus mundus, qui Chriſtum non cognoſcit, non eſt Chriſtiana Eccleſia, ſed ex mundo ſeparata & collecta. Catholica verò dicitur, id eſt, Vniverſalis, non quòd peculiari alicui ſectę ſit addicta, aut uni alicui loco alligata, ſed in om-

Cur Catholica ea dicatur.

Ejus nota.

nibus locis quidam electi verboque Dei devincti. Vera enim nota ac indicium Ecclesiæ est, ubi Euangelium purè & rectè docetur, & Sacramenta juxta Christi institutum administrantur. *Oves* enim *meæ*, inquit Dominus, *vocem meam agnoscunt*. Et quanquam hæc Ecclesia per universum orbem dispersa est, nihilominus eadem Communio Sanctorum, hoc est, Christianorum dicitur, sicut Christiani in primâ Ecclesiâ SANCTI dicti fuere, Paulo teste. Communionem verò hancce inter se sic habent, ut etiam nos (non veró unus populus duntaxat ac seorsim) hereditatis Christi participes reddamur, adhęc omnes ac singuli credentes pariter mẽbra Iesu Christi simus, unius Spiritûs, unius fidei, unius Domini ac unius Dei & Patris.

Ioh. 10. 4. 27.

1. Cor. 1. 2.

De Communione Sanctorũ.

De resurrectione carnis, & vitâ æternâ

Credo etiam nos post hanc vitam in novissimo die cum hac carne resurrecturos: Animamque post hominis obitum nequaquam intermori, sed vivere, corpusque novissimo illo die ex pulvere terræ excitandum fore, & cum animâ in æternum victurum, & tum deinceps nequaquam carnis conditionibus subjectum, sed æternâ vita fruiturum. In resurrectione verò illâ nostrâ universali, sicut justi ad

vitam

vitam & gloriam ſempiternã, ita improbi ad condemnationem pænaſque Gehennæ colligentur, juxta quod dicitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non obtemperat Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ioh. 3. 36.

Credo etiam me per ſanctum Baptiſmum Chriſto inſertum & ad vitam Spiritualem renatum eſſe, veteremque Adamũ cum omnibus deſiderijs ſuis per quotidianam pænitentiam mergi, ut in novâ vitâ coram Deo vivamus, ut Apoſtolus ait: *Sepulti ſumus cum eo*, nempe Chriſto, *per Baptiſmum in mortem: ut ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis ad gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* De Baptiſmi Sacramento. Rom. 6. 4.

Credo etiam ſi poſt Baptiſmum in peccatum prolapſi, atque ſic ex Eccleſiâ Chriſti excluſi fuerimus, quòd poteſtate clavium & abſolutione Apoſtolis cęteriſque Eccleſię miniſtris, & in caſu neceſſitatis cuivis Chriſtiano conceſſa, peccata reſipiſcentibus ac credentibus remittantur, impænitentibus verò retineantur.

Præterea credo, nos in Sacrâ Cænâ corroborari ac conſervari adverſus peccata Satanęque tentationem; ſimulque ſtatuo, quòd cum pane nobis communio corporis Chriſti, & cum vino Com- De S. Cænâ.

Communio sanguis Domini nostri Iesu Christi, per fidem tradatur: Et quoniam mandante Domino, in sui memoriam panem hunc ac poculum hoc, de quo
Matth.26. 27. Luc.22.19 dixit, *Bibite ex eo omnes*, sicut & dixit, *quod pro vobis traditur*, accipere debemus, per ista pignora, non tantùm sacrificij corporis & sanguinis sui semel pro nobis oblati gratam memoriam nobis ad mentem revocare, sed etiam nos certos reddere voluit, quòd per istud corporis & sanguinis sui sacrificium peccata nostra expientur.

De precatione legitimâ. Credo etiam, quòd solus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus sit invocandus: qui honor nulli creaturę quantum libet sanctę convenit: Statuo simul, quòd nullus alius mediator nobis sit, præter solum Christum, propter quem unum ex merâ gratiâ & ejus merito salvi simus. Quamobrem etiam credo, totamque animæ meæ fiduciam in hoc colloco, quod quicquid in nomine Christi, benedicti inquã, illius seminis, petiverimus, Pater nobis
Math. 7.9. daturus sit. *Si enim filius à patre suo petierit panem, haud lapidem ei dabit.* Et quia hic Pater omnipotens est, ideo
Math.6.32 præstare potest: quia idem quoque omnium sapientissimus est, scit quibus indigeamus.

Deum

Deum quoque ardenter & obnixè precor, ut in hac fide ac confeſſione me confirmet ac conſervet, quòd in eâ vivam & moriar, ſeriò deplorans, quòd ſæpè vel in eâ nutârim, vel etiam aliquando ab eâ aberraverim, & pientiſſimum Deum, Creatorem, Conſervatorem ac Redemtorem meum, qui corpus, animam, totque ac tanta corporalia & ſpiritualia beneficia, omniaque neceſſaria, ſuppeditavit, tandem per unicum Filium ſuum ab æternâ morte me exemit, hac meâ ingratitudine offenderim.

Candido Lectori S.

QVum ſub manu meâ clariſſimorum virorum, Philippi Melanchthonis *Germaniæ verè Phœnicis ac Theologiæ melioris Anteceſſoris præcipui, necnon* Georgij Cracovij Pomerani *Iſti, & Illuſtriſſimi Auguſti Electoris Saxoniæ Conſiliarij fidiſſimi, ut &* Iohannis Stigelij Gotani *Poëtæ facundiſſimi, ad Hereſbachium Proſphoneſes metricæ premantur, eas ex autographo deſcripta addere volui. Tu candidè hoc ſtudium meum interpretare, tuoque bono uti velis. Vale.*

Cla-

Clariſſimo viro Dn. Doctori Hereſbachio Philippus, in Colloquio Wormatienſi Anno 1557.

NOn ardentior edita ulla vox eſt
In terris, & in arce Conditoris,
Quàm precatio Filij, cruorem
Quum ſudans petit, eſſe nos in ipſo
Vnum, ſanguine nos ſuo redemtos.
Cur hæc vota parum movent profanos?
Cur multi lacerare non verentur
Cœtus, quos DEVS eſſe juſſit unum?
Sed concordia firma nos ut inter
Duret, tu dato, CHRISTE, ſempiterna,
Nec certamina more Sycophantæ,
Qui diræ ſolet inſtar eſſe Echidnæ,
Fruſtra accendere nos velimus ipſi.
Nunc ergo hoc quoque mutui favoris
Signum conſpiciatur, huc venito
Cras ad colloquiumque prandiumque.
Pacem juſſit amare nos creator:
Pacem reſtituit ſuo cruore
Æterno Logos *ex Parente natus.*

Cla-

Clarissimo Viro D. Conrado Heresbachio I. V. Doctori, & Principis Juliacensis Consiliario, amico suo colendo S.

HOc Encænia sunt die inchoata,
Ex templo simulacra Macabæus
Quando sustulit hostibus fugatis,
Veros restituens Deo potenti
Cultus, lege datâ, *Logooque* misso,
Qui sese patefecit, atque cætum
Æternum sibi colligit, sonantem
Doctrinæ genus unicum, quod ipse
Sanxit voce suâ, deditque nobis.
Hos grati celebremus ut triumphos,
Ac ingentia dona Conditoris,
Et CHRISTVM Dominum à Parente missum
Custos noster ut hic sit & Redemtor,
Ad nostrum rogo prandium venito.

Vale.

T. Georgius Cracovius D.

N. EXaratum anno 1551. quum Confessio Saxonicarum Ecclesiarum à Philippo Melanchthone scriberetur, ut offerretur Synodo Tridentinæ, ubi multorum Principum & Vrbium Theologi ac Delegati confluxerant. Author verò hic in carcere Lipsensi anno 1575. 17. Martij, Vbiquitariorum arte detentus, & quæstionibus torturisque crudelissimis defatigatus, piè in Domino obijt; ut refert D. Angelocrater in Epitome Conciliorum, pag. mihi 127.

Ioha

204.

Iohannes Stigelius ad Clarissimum virum D. Conradum Heresbachium Iurisconsultum.

Maxima si laus, ut certe est, arte juventam
Ad vitæ mores instituisse pios;
Esse putas quantum formare in Principe mentem,
A quo cen magnum patria pendet onus.
Hanc utramque tuo laudato in Principe laudem
Officio meritus diceris esse tuo.
Ista Duci quare commendo encomia vestro,
Ad laudes spectant non minus illa tuas.
Sic sine Phylliride nunquam memoratur Achilles,
Tantum est ingenuos erudisse DVCES.

FINIS.

TVMVLTVVM ANABAPTISTARVM LIBER VNVS, AVTORE. D. LAMBERTO Hortensio Montfortio, Ludimoderatore Scholæ Nerdenæ:

Consulibus & inclito Senatui nobilissimi Emporij Amstelredamensis.

AMSTELREDAMI,

Apud Henricum Laurentium, Anno M, DC. XXXVI.